



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 I
20
20. N.

IN DEFENSIONEM

ANCONÆ TYPIS EDITAM

A QVODAM IN ARTE

CHIRVRGICA VIRO,

Gratis Asserente,

Rotulam transuersim fractam sine restitante

Claudicationis incommodo nequaquam posse curari.

RESPONSIO

Perillustris, atque Excellentissimi Domini


ANDREÆ VERONICI

CIVIS PISAVRENSIS,

ET IN ALMO MACERATENSI

COLLEGIO

PRIMARII CHIRVRGIÆ PROFESSORIS.



Maceratæ, Typis Michaelis Archangeli Siluestri. 1695.

DD. Superiorum Permissu.

E libris Recessus SS. Ioannis, et Pauli de Urbe 1810

ILLVSTRISSIMO MACERATENSI SENATVI.

Reuerenter, ac deuotè colendo ſalutem plurimam dico, & in leui munere ſummi affectus monumentum conſecro, ac dedico.



Erpendenti mihi, cui nam potiſſimùm hoc meum publicè exponendum reſponſum Sacrum facerem, opportunè è veſtigio NOMEN VESTRVM Laudatiſſimũ in mentem venit. Si enim, ceù debeo, in memoriam reuoco, quibus plurimùm, arctiſſimèque ſim obſtrictus, vos occurritis, omnium primi, qui veſtrę ſanitatis patro-

cinium mihi, liberali mercede donato, tã munificè, tamque fidenter concredidiſtis.

Qui mare traycit, experto, ſeduloque eget Nauclero, cuius duce ſyrtes, ac procellas effugiens in portum feliciter perueniat: Vobis prudentiſſimè regentibus, ac protegentibus, hoc meũ breue reſponſum, Zoilorum, & malignantium Oceanum tranans, nullum reformidabit naufragium, tempeſtates irridebit, veſtrique fauoris imperturbati maris ſecurum portum perenniter attinget, & ſumma cum Reſponſore tranquillitate fruetur.

Suſcipite VIRI NOBILISSIMI, animis equis, fauẽtibus, ac benignis, hunc tenellũ mei ingenioli fętum, quem, vt deuoti cultus ſpecimen, intefſeram, & ſignum gratitudinis, amoris, & humillimę Obſeruantię erga VOS QVIRITES, PROCERES, RECTORES, PATRIÆ PATRES, ea, qua par eſt, reuerentia exhibeo,

beo, & ad pedes veſtros depono, cuius fronti VESTRI NOMINIS honorem prępoſui, vt vnà eidem ingens concilietur decus, & quod in ſe ſplendoris, ac exiſtimationis non habet, ſub veſtris auſpicijs,efflorentiſſimæque ſortis ROTA conſequatur.

Suprema interim MAIESTAS vos pios, fortes, prudentes, corpore incolumes, conſilio valentes, regimine felices valere, viuere, ac imperare iubeat.

Datum Maceratæ die 1. Menſis Auguſti Anni reparatæ Salutis 1695.

Illuſtriſſimi Veſtri Nominis, ac Dignitatis.

Humillimus, ac Sinceriſſimus Cultor.
Andreas Veronicus.

SCRI-

SCRIBENDI NECESSITAS

PRidie Nonas proximè pręterlapsi Mensis Maij, Defensionem cuiusdam Excellentissimi Viri, publicis typis editam, prę manibus habui, quam cum attentè legissem, ac perpendissem, & in me inuehi nouissem, eandem ab Auctore iniurijs potiùs verbis, quàm validis, ac modestè allatis argumentis (vt sapientis, & prudentis Artificis mos est) exornatam comperi. Quare mea interesse censui, modestos mei sensus à cōtumelio sis tanti defensoris doctrinis vindicare; quod vt assequar, illatam respondendi occasionem priùs ducam in apricum.

Illustrissimus Eques N. N., transuersali rotulæ fractura laborans, præfati Defensoris manibus se curandum commisit, qui curationem amplexus, ineuitabilem claudicationem à casu, etiam sano iure curando

do

do, fore superstitem illicò prædixit. Hoc tristi nuncio perterritus Illustrissimus Patiens me consuluit, mediante Illustrissimo D. Iacobo Baldinuccio Prouinciȩ Marchiȩ Generali Thesaurario, vt sciret, quid ab hoc casu foret expectandum, cui omni animi ingenuitate, & nulla alios taxandi prurigine tactus, respondi; ipsum prorsus a claudicatione incolumen euasurum, dummodo ab Eccellentissimo Chirurgo, fracturæ curationem dirigente, remedijs tractaretur Methodicè prȩscribendis; cum & ipse huius generis fracturas pluries feliciter curauerim, & ab alijs curatas fuisse mihi constiterit, nulla restitante claudicatione. Hoc prȩsagium, Defensoris pronunciatum destruens, eiusdem animum tam concitauit, vt ad euomendum sui animi mox conceptum liuorem, apologeticam dissertationem publici iuris fecerit; in cuius progressu nullam ex transuersim fa-

ctis rotulæ fracturis ſanè, & abſque vlla claudicatione reſtitui poſſe nititur aſſerere, ſic Hildano dictante, ob ineuitabilem muſculorum attractionem,& Pareo teſtantè neminem ſibi viſum fuiſſe , cui os hoc fractum eſſet, qui non per vitæ reliquum claudicauerit, idque ideo, quòd inducta calli concretione conſolidatio liberam genuflexionem impediat. At quoniam neminem latet, ex Philoſopho OPPOSITA IVXTA SEPOSITA MAGIS ELVCESCERE, in Lectoris commodum hìc denuo recuſam Excellentiſſimi Defenſoris diſſertationem ea, qua à Tiphographo orthographia Anconæ fuit inſculpta, adijciam, vt hanc, & meam ſub oculis habeat, & ex vtraque ſuum hauriat Iudicium, quo proferat, *an Ego ſim magiſter, & ipſe doctor*,& ſanè perpendat, *Quid luna cum Cancris ?*

CHI·

CHIRVRGIÆ,

Et Potiſſimorum, qui in ea præcellunt Au-ctorum, Defenſio contra Iactationes Cuiuſdam Recentioris in Caſu *FRACTVRÆ PATELLÆ GENV*

HISTORIA.

NObilis Vir quadragenarius L. V. affe-ctus ex Scalis deſiliẽs Genu ſiniſtrum acriter percuſſit ita vt Patellam in tranſuerum ſibi fregerit, ad quam fracturam illico accurrens perfacilè compoſui ſine ſpe tamen conſeruationis ob Muſcolorum ineuitabilem con-tractionem, nam communia Localia, quæ fra-cturis, & Luxationibus adhibentur dictam attractionem nequeunt penitus interdicere, qui-bus Topicis placuit mihi proprio marte addere glutinum cum ſuis Anſulis, quod in caſu alio-rum præſidiorum præſtantius exiſtimo attamen

illud

illud pariter incaſſum experior propter validiſſimam Muſculorum retractionem veluti per bellè aſſerit Hildanus Cent. V. Obſer. 88. dicens Labia huius Fracturæ nunquam coniungi poſſint ob fortem Muſculorum, ac Tendinum contractionem Pareus quoque Cap. 22. teſtatur ſe neminem vidiſſe à claudicatione euaſiſſe & Alij qua de cauſa non abſque ratione ſtatim leuem claudicationem predixi præcipuè cum Illuſtriſſimus Patiens deſcendere conabitur, at quia Conſanguinei ſiniſtrum augurium plena fide non admiſerunt curæ felicitati fidentes, quæ fauſtè hucuſque progreditur quanquam non niſi vndecima dies tranſacta ſit. Obſecro ideo excellentiam D. D. Phyſicorum, ac Chirurgorum vt vnuſquiſque iudicium ſuum libenter illis deferat nè veritas ſole clarior denigretur. Anconę 12. Martij.

Prognoſticum ſuper emiſſum quod Illuſtriſſimus Patiens non poſſit priſtinam valitudinem perfectè adipiſci, & ſi ſatis probatum videatur

ab

ab Excellentiſs. D. D. nempè Bernardino Genga Phyloſ. ac Medicinę Doctore Anatomico celeberrimo, atque Chirurgię Profeſſore Sancti Spiritus de Vrbe. Paulo Piella Phyloſ. ac Medic. Doctore in Archigymnaſio Bononiæ Lectore, & Archioſpitalis Sanctę Mariæ de Vita Phyſico Chirurgo attamen ad ſatisfaciendum cuidã Chirurgo ſcribenti ſe multas fracturas tranſuerſales Molæ Genu feliciter curaſſe, & nullam in Ægris leſionem remanſiſſe ſuadenti Patienti vt alacriter viuat, & aſſerenti ipſum ſimiliter futurum eße omnino incolumem dummodo methodicè, & rectè curetur prout Amicus fide dignus mihi retulit Epiſtolam vero videre non potui; ideò opere pretium duco patefacere ſuarum iactantiarum audaciam, & dare anſam vt mea vel ſua inſcitia omnibus aperta ſit.

Aduerſarij ſententię fauet Sladus Phyſicus qui vidit vtrumque hoc Os (ideſt Genu Mola) per tranſuerſum fractum à Chirurgo Stapelmoer ſanatum, & nullum incomodum peperiſſe Ægre

græ nisi quod in graduum descensu paulò tardior esset Ioan. Visl ng. Anat Cap. xvII. pag. mihi 251.

Cornelius Stalpartius Obser. 108. *idem asserens dicit Scutum Genu per transuersum à Cornelio Solingio post sex Ebdomodas probè curatum fuit nisi quod non ita facilè gradus scanderet.*

Ego tamen non temerè, sed rationabiliter easdem rationes illis planè remitto quia inter se repugnantes reperio nam quomodo aiunt probe curatas fracturas fuisse, dum eodem tempore confitentur non ita facilè Ægrotos gradus scandere potuiße, non est hæc lenis claudicatio saltem in descensu sicuti iudicaui? sed Pareus, & Hildanus loco cit. Aduersarium confutant. transeamus ad alia,

Actio seu motus non perficitur nisi per instrumenta disposita, at Patella in transuersum fracta nunquam coniugi potest ex Hildano loco cit. ergo.

Am-

Amplius Patella per Falop. cap. 33. expositio de Ossibus stat loco validissimi Ligamenti dicentem naturã apposuisse Patellam osseam vice fortis Ligamenti ne facilè in motu atteratur, aut rumpatur. ergo Crus suas functiones non in toto efficere potest, quia tam robustum Ligamentum non est bene dispositum.

Amplius Patellæ vsus est Articulum firmare nè Femur ad anteriora labatur præsertim per decliuia, sic & Tendines tueri à Thoma Bartbol. cap. xx1. quomodo igitur suas actiones Articulus liberè exercebit dum Mola Genu à statu naturali recedit?

Amplius omnes Anatomici vnanimes confirmant quod Tendines Musculorum Crus extendentes, idest Rectus gracilis Vastus externus, Vastus internus, & Crureus, qui in vnum Tendinem desinunt Patellam circundant ita vt ista attracta attrahatur Tibia, & Rotula extensa extendatur Crus. Ergo si scutum Genu hians aut male dispositum remanserit, ob alligatas rationes

nes

tus quo pacto officio suo fungi poterit?

Amplius Stalpart. loco cit. iubet vt infasciarum solutione Rotulam Digitis apprehendamus, & in quamcumque partem impellamus ne cum Epiphysis Tibiæ, & Femoris coalescat, sed parcat mihi eius excellentia, nam si hoc agit ad euitandam Articuli rigiditatem adumbratum est opus, quia rigiditas potest etiam oriri à coaceruatione crassi humoris in Articulatione exiccati quanquam Patella dictis Ephiphysis non coalescat veluti Falop. de Luxat. cap VI. accuratè Chirurgiæ Tirones admonet dicens leniter mouēdus est Articulus ad hanc, atque illam partem vt humor in Articulo contentus elidatur foras alioquin ibique concresceret exiccaretur, & Articulū immobilem redderet, ratio est clara, & exemplum quod ego præmanibus habui id confirmat.

Domina Angela ex Ciuili Capitostis Familia Terræ Poli prope Romam gracilis quadraginta circiter annorum ætatis die x. Maij 1683. ni fal-

fallor cecidit, & Humerus dexter perfractus fuit vbi desinit Musculus Deltoides, quam fracturam feliciter curaui nisi quod ob flexionem Cubiti per 40. dies absque motu detenti, & ad Toracem compositi vt mos, ac Methodus est Cubitum nunquam extendere nec flectere potuit ob humorum stagnationem in Articulo, quamquã omne studium mihi cognitum adhibitum fuit pro emollitione, ac solutione eorumdem humorum; idcirco dico ego discipulus ad predictum Magistrum quid Luna cum Cancris? quid fractura Raphanidon in medio Humeri posità cum rigiditate Cubiti, qui illesus ab infortunio euasit? velit, nolit hoc confiteri opportet quod si prolapsus, & exiccatio crassi humoris morbum progenuit, quanto magis ergo timenda sit Articuli rigiditas in fractura transuersali Patellæ quæ immediatè Articulationi subest; imò nisi subtilis Falop. admonitionem sequamur aufugere illam minimè poßumus.

CON-

CONCLVSIO:

SI Stalpartio in cura adharemus Patellæ tantummodo coalſcentiam cum præfatis Ephipyſis, at non rigiditatem Articuli euitamus; ſi cum Falop. conuenimus Patellæ conſolidationem (ſi daretur) non aſſequimur, nam in fracturarum coagulatione neceſſario requiritur quies; ſed è duobus malis minus eſt eligendum ideò doctrina Faloppij alijs doctrinis preferenda eſt, minorem enim deformitatem affert leuis Patellæ laxitas ſiue hiatus, quam Articuli rigiditas.

Poſte quam iactationes dicti Profeſſoris varijs rationibus, & auctorum ſententijs reprobatas putò, liceat mihi methodum fracturarum publicè exponerè, vt videat ille an ſciam, an non curare fracturas

Tribus interdum quatuor, & aliquandò quinque Scopis abſoluitur Metodus, extenſione nimirum, repoſitione, conſeruatione, acciden-

tium

tium correctione, & Calli generatione, quibus, & quot in casu uti debemus, hoc opus qua propter nolo explicare eos vt Magister me doceat, sed caueat ne aberret quia magistrorum errores summoperè detestabiles sunt.

Alia iactantia eiusdem videlicet, quod multas fracturas transuersales Rotulæ prosperè curauerit leui manu, & breui sermone diluuntur, nam aut omnes Chirurgiæ auctores mendaces sunt, & ipse verax, aut illi veraces, & ipse solus mendax. ego simpliciter alterum exemplum vidi, sed audiat vnusquisque præcisa Stalpartij verba, Obser. 107. dicentis, Auicenna, Hildanus, & Alij rarissimè rumpi Patellam aiunt, quod & experientia confirmat, ratio est quod illa mobilis sit nec alijs coniungatur ossibus, quare etiam facillimè cui vis duriori materiæ vi cedens huc illuc impellitur.

Insuper nè mentiantur omnes Chirurgiæ Doctores asserendum est non esse admittendam huius fracturæ frequentiã nisi in Iactatoribus,

& neutiquam sperandam omnimodam pristinam valitudinem.

Postremò vt sensus meorum verborum, idest leuis claudicatio, seu quedam laxitas ambulandi presertim in descensu veluti sentio accipiatur, dico id intelligi per quamlibet minimam lesionē motus Articuli, quod pluries oretenus Illustrissimis Patienti, ac Cosanguineis patefeci.

Ita quoque intelligo quod pristina salus sit quotiescunque pars lesa suas actiones exercens nullum etiam perexiguum sentiat incomodum; quod secundum Artem, & Doctorum auctoritatem non licet in Casu sperare, quare si prognosticum deuium fuerit cum tota Chirurgia ego pariter aberasse gaudebo.

Franciscus Odoardus Ciaccius Chirurgiæ Doctor, Atque Ancone Publicus Prfoessor.

Anconæ Ex Typographia Camerali. 1695.
Superiorum Permissu.

Tam

Tam audax iudicium, & inconcinnam dissertationem à iustis censuris immunem abire ius non permitit; *Consilia enim*, vt inquit D. Basilius, *aduersus iustos inita, in caput malignè consultantium retorquentur*. Consimili iure ductus tantùm retundam Defensorem, eiusque turgidos sensus deprimam, eidem demonstrando.

Primó, ex transuersali rotulæ fractura non necessariò, nec semper claudicationem superesse.

Secundò in Illustrissimi Propositi Domini curanda fractura Excellẽtissimũ Defensorem de via dece-

dere potuiſse, & hinc Illuſtriſsimum Patientē Claudum reſtitaſse.

Tertió tandem Defenſoris argumenta nullius eſſe momenti. Pro quibus ſit.

Prima Concluſio.

TRanſuerſalis rotulæ fractura ſit aliquando ſanabilis, nec vllam poſt ſe claudicationem relinquit.

Probatur primò ratione, ac indè auctoritae, ac experientia, Rationem mihi ſuggerit anathome chirurgica eiuſdem famigeratiſſimi Bernardini Genga, quem in ſuum

ſuum tutamen ipſe Defenſor perperam accerſiuit: Hic vtique anathomes aućtiſſimus Profeſſor Cap. 30 pag. mihi 261., vbi agit de rotula, aut mola, aut patella, aut ſcuto genu aduerſus Ildanũ clarè probat, non ſemper, ac immediatè in omni genu rotulæ fractura, neceſſarium eſſe conſequi motus abolitionem; ſicuti genito poro ſarcoide, & agglutinatis partibus fractis, neceſſarium haud eſſe claudicationem ſemper ſupereſſe, cum rotula non ſit os, aut ſolùm, aut principaliter totum ſuſtinens, & motum perficiens, verùm ad melius eſſe, & maius articulationis robur genitum, cui tranſuerſim fracto, ſuæque figuræ, ac ſitui reſtituto, poro ſarcoide facto, & hinc ſanè agglutinatis oſſis fracti fiuſtulis, nil deeſt, quo deficiat à munere ſuo articulum firmandi, & muſculorum tendines tuendi: hoc ergo generico iure nullam per ſe minantur claudicationem. In ſpe-

 cie

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cie tamen loquendo in patellæ fractura, tunc superest claudicatio, quando, aut aliquod rotulæ fragmentum interponitur inter femur, & tibiam, aut quando cum rotulæ fractura lacerantur tibiæ musculi extensores, rectus, crureus, vastus internus, & vastus externus, aut tandem ob accessum accidentium, doloris, fluxionis, inflammationis, febris, & similium, quorum causa non solùm auferuntur ferulæ, quibus constringuntur partes Ossis fracti, sed iidem etiam confluentes humores, & multo affluentior articuli mucus circa articulum exiccantur, & concrescunt: quo iure ipsa rotula càllo multò maiori agglutinatur, quam requiritur. Hoc in casu tum ob copiam dicti muci, tum ob rotulam perperam agglutinatam, & iustò grandiorem redditam ob calli superfluitatem tollitur symmetria, quæ debetur articulationi, & sic necessariò consequirur clauditicatio.

Hac

Hac præhabita veritate, & diſtinctione mihi ſeſe offert perpēdēdi occaſio, an Illuſtriſſimi propoſiti Patiētis fractura probabiliter extiterit feliciter curabilis? Ex quo diſcuſſo præſagij, quo eidem greſſum ſanè recuperandum indixi; tota pendet veritas, & firmitudo, & videtur quod ſic. Et primo cum nequeat dici, rotulam fractam ex ſui natura incurabilem eſſe, cum ſit os non ſimpliciter neceſſarium peragendo motui, vlterius inquirendum, an in caſu præfato fractura per accidens felicem curationem reſpuerit? & videtur quòd non, cum in ea nulla conſtiterit muſculorum extenſorum notabilis attritio, aut oſſis in plura, ac plura fruſtula diſciſſio, repoſitionem laborioſam efficiens: conſtitit inſuper, in bina tantum fruſtula rotulam fuiſſe ſciſſam: nec tandem patuit, fracturæ vllū acceſſiſſe accidens notatu dignū, quod ſanam, ac felicem curationem euertere va-

lue-

luerit. Horum nullum ab exorſu fracturæ euenisse, nec longo eiuſdem progreſſui, ſuperfuiſſe patet ex ipſamet Defenſoris edita diſſertatione, quę inchoans, ſic alloquitur: Nobilis Vir quadragenarius L. V. affectus ex ſcalis deſiliens genu ſiniſtrũ acriter percuſſit, ita vt patellam intranſuerſum ſibi fregerit, ad quam fracturam illicò accurens per facile compoſui &c.

Ex per facili ergo compoſitione patet, primis fracturæ exordijs nullam muſculorum notabilem dilanciationem, aut quid aliud accidẽs notabile ſucceſſiſſe, quę vtiquè, fractarum partium vnionem non tam felicèm permiſiſſent, ſi adfuiſſent: ſicuti nec ipſe Defenſor de his nullum vebum protulit, nec reticuiſſe cenſendum, alias hiſtoria fuiſſet mancha, & mutilus Hiſtoriographus. Pergit indè Defenſor: At quia conſãguinei ſiniſtrum augurium plenæ fide non admiſerunt, curę felicitati fiden-

dentes, quæ faustè hucusque progreditur; quanquam non nisi vndecima dies transacta sit &c. Constat igitur luce clarius, nec intra vndecim dierum interstitia ab vllo accidente curationem fuisse perturbatam, quo iure vsque ad duodecimam diem faustè processerat. His igitur primò fracturæ progressu, quo ob validam percussionem, & hinc ob satis allicientem dolorem euenire consueuerunt; non obstantibus Excellentissimo curanti securior spes superfuit, qua topicè saltem suadere potuit, curationem in reliquum sui temporis feliciùs fore progressuram. Hæc ita adamussim mihi denunciata, satis extiterunt, vt intra iuris limina Illustrissimo Patienti gressum integerrimè redimendum liberè pronunciauerim, quoties ab Excellentissimo Curante sana methodo pertractaretur. Hæc omnia apprimè comprehendet (vt cum meo Excellentissimo Defensore arguam

in

in forma) Syllogismus ab expertissimi Genga doctrinis, sic formaliter concinnandus

Rotulæ fractura ex sui natura curabilis, tunc claudicationem relinquit, quando aut aliquod fracturæ frustulum interponitur inter femur, & tibiam, aut satis lacerantur musculi extensores, aut fracturæ accidit aliquod accidens notabile, quod curationem perturbet.

Sed fractura Illustrissimi Propositi Patientis accidit, & processit sine hac ossis frustuli interpositione, extensorum musculorum notabili laceratione, & vllius notabilis accidentis accessu, quam curationẽ euertere potuerint;

Ergo fractura Illustrissimi Propositi Patientis feliciter curari potuit, nulla restitante claudicatione, aut perexiguo incessus incommodo, sic contrariorum contrarijs dictantibus rationibus, sed eò vnde

di

digressus fueram, mihi iam redeundum.

Secundò probatur, non omnes transuersim fractas rotulæ fracturas claudicationem post se relinquere, auctoritate merentissimi Pauli Barbettæ, qui in suis operibus Chirugico-anathomicis parte prima cap. 4. num. 14. sic inquit: *si patellæ genu in transuersum frangatur Patiens plerumque claudicat*. Si ergo ex Barbetta Patiens plerumque claudicat, igitur non semper claudicat: aduerbium enim temporis (si meus Excellentissimus Defẽsor grammaticæ sanè recordetur) plerumque non omnes rotulas transuersim fractas, sed eorundem maiorem partem, aut numerum claudicationem afferre determinant. Ergo rotulæ fractura transuersim insculpta potest quandoque curari absque vlla claudicatione relicta, nil obstante ineuitabili musculorum attractione, quod est contra meum Excellentissimum Defensorem.

Te-

Tertiò probatur experientia, cui non desunt casus, in quibus rotulæ transuersim fractæ dextrè, riteque curatæ, nullam post se claudicationem relinquerunt, & primò.

Idem Excellentissimus Genga loco superiùs commemorato. Aduersùs Hildanum in hęc italico diomatè erumpit: *Guglielmo Fabritio Ildano, Obseru: Chirurgica Cent. V. obseruat.* 88. *Assegna vn altra distintione, la quale è, ch'essendo la frattura per il longo della detta rotella, non è necessario, che resti la claudicatione; mà solo vuole, ch'in tutti i modi segua quando la frattura si fà per trasuerso; e per meglio spiegare questa sua dottrina nel luogo sopracitato impresse la figura della detta rotella con alcune linee, e caratteri, che dimostrano questa verità di frattura; la quale distintione, par, che à prima vista renda pago l'intelletto, mà poi l'esperienza dimostra alcune volte il contrario, poiche io hò osseruato, che non ostante la frattura trasuersale della rotula*

tula (mà però senza laceratione di quella espantione tendinosa, che s'è detta, e senza esser soprauenuto accidente di gran rilieuo che habbia disturbata la cura) n'è seguita felicemente l'agglutinatione, che si credeua da alcuni impossibile, e che non seguisse. Vt hanc suam praxim confirmaret, binos indè retulit casus, nêpè ex *Slado Physico,* qui vidit vtramque rotulam transuersim fractam *à Stapelmoer* feliciter curatam, & ex *Stalpartio*, qui vidit scutum genu transuersim fractum *à Solingio* curatum absque vllo incommodo.

Nec est, vt dicat Excellentissimus Defensor, illos vtrosque patientes paulo tardioris gressus restitisse, & hinc leuiter claudicasse, primum in descensu, alterum in ascensu, confundendo gressus tarditatem cum claudicatione: hæc duò vtique longissimè distant, cum claudicatio conformationis, & figuræ vitium respiciat, incessus autem tarditas ab alijs etiam diuer-

sis

ſis cauſis, & primò à deficiente ſpirituum animalium in motus organum influxu, nullo etiam organi interpoſito vitio occaſionem arripere quæat. Claudicatio motus deformitatem, tarditas motum longiore temporis interſtitio peractum connotant. Claudicatio poteſt dari ſiue inceſſus tarditate, ſicuti hæc ſine claudicatione: experientia digito commoſtrat, quam plures homines, licèt claudicantes promptè tamen, celerique deſteritate progredi, tibiãque agiliter mouere; quanquam decurtatis greſſibus eandem extendant; ſicuti è contra plures inſpiciuntur, nec genu, nec rotulæ fracturas, nec aliud organicum vitium, quod vllius claudicationis anxam allicere valeat, experti, tardò incedere greſſu, nullatenus, haud claudicare, nec pro claudis ab vllo exiſtimari. Perpendẽdum inſuper, leuiſſimos actionum naturalium à gradu ſanæ perfectionis caſus, intra

ſani-

sanitatis terminos adhuc claudi, & claudos esse censendos, cum nequaquam, aut per raro Ars eam quā Natura præstare potest perfectissimam in agendo sanitatem, restituere sit potis: quinimo ipsamet Natura, quæ in Hominis, cęteris animantibus temperatioris constitutione summum mediocritatis, & temperantiæ gradum intendit, ac exoptat, in multiplices temperiei calidioris, frigidioris, siccioris, & humidioris excessus præterlabitur, quibus cum ad iustitiam sanè procedit in suis operibus exercendis, quorum paruus à perfe-ctione lapsus intra sanitatis cancellos adhuc conterminatur. Paripenso, qui arte curatus ferè sanè ambulat, sanè incedere censendus erit. Satis est igitur, vt membrum aliquod fractum, & fractura curatum, sanè agere dicatur, si quam proximè pristinæ sanitati accedat in agendo. Hisce iuribus innixus præ laudatus Gen-

ga binos à se recésitos patientes pro sanè curatos habuit, restiterint, licèt in gradiendo lentuli, sed non claudi quomodo fuit perperam interpretatus meus Excellentissimus Defensor.

Secundò Marcus Aurelius Seuerinus in Chirugiæ efficacis part. 2. de his, quæ ad ossa spectant. Reuerendum Patrem fratrem Matthiam à S. Seuerino ordinis Capuccinorũ fracta patella, neque iam multis mensibus coalita laborantem, sollicitum efficacias remedij gratia ad ipsum accurisse narrat, quod nullum aliud equidem esse respondit, nisi vt adaperta cute refricarentur ore fractarũ ossis vtrarũque partium, ac demum arte (quod prior Medicus minimè fecerat) conglutinandæ coniungerentur, colligatæque sufficienti tempore detinerentur; quamet curandi ratione in Angelo Ficto Lucano os genæ satis extuberans, & ex igneo sclopo fractum à

se

ſe feliciter curatum fatetur. Nec dura nimis, aut inſolens hæc curandi ratio vlli videatur, cum in peruerſo fracti oſſis vetuſto callo voluerunt Paulus lib. 6. Cap. 108. & 109., Auicēna lib. 4. fen: V. tract. 2. Cap. 2. & Iſaaccus Iſraelita lib. 9. practicæ Cap. 95. eos ſecuti Guido Cauliacus tract. V. doct. 1, Cap. 1. & Vidus Vidius lib. 4. Chirurg Cap. 2. ibidem loci ſecandum, priùs carnem, deinde ſcalpro deradendū callum, vſque dum vtræque oſſis oræ reſoluantur. Hæc curandi methodus ſi feliciter contigit in oſſe fracto principaliter genam ſuſtinente, ac mouente, fuitque ſuaſa velut efficaciſſima in veteri patellæ fractura, quare vtilis non cenſenda in rotula recenter, & tranſuerſim fracta, motui progreſſiuo ſimpliciter nō neceſſaria? Muſculorum attractiò vtique euitabilis erit, vt in tertia concluſione conſtabit.

Tertiò Hisbrandus Diemerbrohec in

Anathome Patauij nouissimè recusa, correcta, & locupletata à Timanno eius filio Medicinæ Doctore lib. 9. de ossibus Cap. 19. sic loquitur. *Vidi etiam alios, quibus, cum à magno aliquo impetu patella in duas partes discissa eßet cũ maximo incessus incommodo, quorum tamen aliqui postmodum fractis partibus, per callum rursus coeuntibus, & satis firmiter iunctis, integro gressui restituti sunt.* Eadem patellæ transuersim fractæ probabilitate subsequentem casũ retulisse videtur Ioannes Schenchius obs. Medicinali lib. V. de genubus obseruatione 4. pag mihi 648. hęc enarrans. *Secretarius Marchionis Badensis binis, sed alternis casibus molam, vel patellam vtriusque pedis genu perfregit, ac si cultro per medium dissecasses: meo consilio ceruinis corijs ligatus promptè incedere potuit, ita fortunæ etiam fortissima ossa non resistunt V.C.L. Esaias Meichsnerus* de obseruatione propria. Curãtur ergo nè feliciter rotulę fracturæ? nec

suspi-

ſuſpicari fas ſit Excellentiſſimo Defenſori, haſce fracturas per longitudinem forſan euenisse,cum Authoris verba ad omnia rotulæ fracturarum genera æquè trahi queāt, nec ſit veroſimile, omnes ab eodem, & conſimili caſu eandem traxiſſe ſortē. Prȩter quæ tam forti vnione, & tanto, vt coniungerentur labore non indiguiſſent, niſi tranſuerſim eueniſſent,cum in fracturiș per lōgum inciſis ipſimet muſculi rotulam circumligantes ex Hildano, & alijs vnionē expleant, & citiſſimè conſaneſcant; ſicuti è contra in tranſuerſim, vel obliquè factis valida, & firma coniunctio facienda, vt hi muſculi ab attractione deſiſtant, & fortiter firmentur, multòque longiori tempore curentur.

Interea, nè tantummodo ex aliorum libriș, & præſertim Exoticorum defunctorū monumentis in meam aſſertionē fulgiendam hiſtorias feliciter curatas excerpsiſſe

videar, quamplurium etiam nunc Viuentium,& chirurgiæ praxim celeberrimè tractantium adferam testimonia,ex infra transcribendis epistolis,& cõtestationibus colligenda, & examinanda, quorum archætypos ipsi Typographo fideliter exhibui.

Illustrissimus Eques frater Commendator Ignatius Piccolomineus,in Medicis, ac Chirugicis nemini secundus, quandã nimium productam Excellentissimi Genga, scripturam, doctrinas, ac obseruationes publicè æditas, & præcitatas confirmantẽ (quam, nè crambem recoquere videar,hic omitto) mihi transmittens sic benignè respondet.

Eccoli la scrittura in risposta della frattura transuersale della rotella,fatta dal Signor Bernardino Genga, ad istanza sua, doue sentirà quello, che li diss'io l'altra volta, che si dia, & accada alcune volte in detta frattura transuersale l'intiera sanagione, & guarigione, e senza

za alcuna claudicatione. Come posso farli fede io in un detto Nicola Aios Maltese, che nel volersi inginocchiare li si ruppe una bancha sotto, e si ruppe, e franse per transuerso la rotella del ginocchio sinistro: fù accomodata dal Signor Carlo, il cognome non mi souuiene allora Chirurgo del nostro spedale di Malta, e questo fù dell'anno 1685. Di più viddi vn altro in Messina medicarsi dell'istessa frattura, & iui tornato dopo alcun tempo con le Galere, lo trouai nella bottega sua, ch'era Tornitore, à lauorare; doue io vi andauo spesso, e questo restò dopo alcuni mesi libero affatto, & si addimandaua Francesco Maccario Miniere. E questo fù nel 1679. se bene mi ricordo. E questo io lo sò, per esser dopò detta frattura stato mio Maestro di Torno, quale feci venire in Malta, e restò alcuni mesi in mia Casa. Chi lo medicaua non lo conosco, che per vista. Questo è quanto mi occorre dirli circa alle sue dimande, con aggiungere, benche il caso sia difficilissimo, e raro, nulladimeno non

à impossibile, e la riuerisca cordialmente. Ascoli li 9. di Giungo 1695. *Frà Ignatio Piccolomini.*

Respõsio Epistolaris missa ab Illustrissimo Domino Laurentio Bellini Serenissimi Etruriæ Principis aulico Medico, & in Collegio Senensi Anathomiæ publico, ac celeberrimo Lectore ad Admodum Reu: Patrem Philippum Maggi Philosophiæ Lectorem publicum Societatis Iesu.

Ecco seruita V. R. è sodisfatto l'amico. Tengo ben distinta memoria del Professore, e del luogo, & del modo, & del tempo, nel quale mi parlò, e della replica, ch'io li diedi confacente al vero, per quanto à me pare, e che per ciò hò pensato, che sia giustitia il ratificarla, ancho con la firma della mia propria mano, come ella vede nell'ingiunta carta. Satisfacendo dunque io con quest'attestatione alle leggi della giustitia, nõ posso dar luogo ad alcuna parte di quella gratitudine, che professo alla tanto grande benignità, che V. R. hà sempre esercitata verso di mia perso-

ſona, mentre il far queſta fede è obligo, non corteſia. Attendo per tanto altre congiunture, nelle quali mi poſsa eſercitare in qualche coſa di ſua ſodisfatione, con meno rigori di doueri, e più campo di libertà, per darli qualche pegno del mio genio, che mai li ſarria il corriſpondere all' altrui beneficenza. Sarò ſempre di V. R. &c. Fiorenza 27. Giugnò 1695. *Lorenzo Bellini.*

Sequitur eiuſdem Illuſtriſſimi Bellini fides, prefato admodum Reuerendo Patri tranſmiſſa.

Ego Laurentius Bellini etc. interrogatus, an rotula, ſeu patella diffracta tranſuerſaliter in genu humano poſſet curari ſine claudicatione ſubſequenti poſt curationem? Reſpondi, abſolutè poſſe curari ſine claudicatione, immò nō raro ſolere etiam à doctis Chirurgis in huiusmodi percuſſionibus curandis frangi dedita opera, vt meliùs curetur percuſſio, in quorum fidem has licteras dedi etc. Ego Laurentius Bellini manu propria etc. Florētiæ Quarto Kalēdas Quintilis 1695.

Testimonium perhibitum ab Excellentissimo D. Mario Cecchino Medicinam Phisicam chirurgicam, & anathomem sũma cum laude in Vrbe tractante.

Io Infrascritto attesto pro veritate d'hauer medicato alcuni Patienti, che haueuano fratta per trasuerso la rotula, ò patella del Ginocchio, et in specie trà quelli mi ricordo, vno è Alonso de Castro Spagnuolo, Seruitore del Signor Segretario del presente Ambasciator di Spagna, che medicai nell'hospidale di S. Giacomo de Spagnuoli, et hoggi ancora viue, e camina sano, libero, e senza claudicatione. L'altro è Suor Maria Isabella Brandani Monica nel Venerabil Monastero di S. Siluestro in Capite, la quale similmente viue, e camina sana, libera senza alcuna claudicatione. Mà questo non si deue ascriuere à prodigio dell'arte, ò del Professore, atteso che si rompono l'ossa della Tibia, Fibola, e Femore, che simpliciter sono necessarij al sosten-

tamento del corpo, e deambulatione, espessissimo si medicano senza restare alcuna claudicatione. Molto più si deue giudicare, possino restar liberi i patiẽti dalla frattura trasuersale della rotella, ch'è vn osso molto meno necessario al moto delli sopradetti, e solamente fatto dalla natura pro maiori firmitudine di quest'articolatione, e non già, perche sia simpliciter necessario al moto progressiuo, ò deambulatione, come sono il Femore, e la Tibia. In fede di che questo di 18. Giugno 1695. in Roma. **Io Mario Cecchini M. Fil. C. A. M. P.**

Excellentissimo D. N. N. publico Medicinæ Professori doctè respondet Excellentissimus D. Petrus de Albertis, vtriusque Medicinæ Phisicæ, ac Chirurgicæ Venetijs Celeberrimus Cultor.

Alle gratie, ch'ella mi cõparte nel commãdarmi, corrispondo con tutta prontezza nell'vbbedire. Riceuerà per tanto qui accluso, ciò che scrissi nel consaputo affare della fratura della rotella del Ginocchio, e nella scrittura hauerà occasione

ſione di compatire le mie debolezze eſpreſſe allora ſenza fraſe, e come veniuano dettate dal genio di ſeruire a chi me l'impoſe. E già che deſſidera gl'atteſtati de caſi, che comprouano l'eſperienze da me pratticate, adherenti all'opinione del dottiſsimo Sennerti, aſſerente ſimili fratture eſſer facili da curarſi, quando vi s'adopri il vero methodo, hauerà anche queſti quì anneſsi, cioè di trè de medemi, l'altro non hauendolo potuto hauere, per non trouarſi chi fù il patiente del male, aſſicurandola, che guarì anch'eſſo perfettamente. E però vero, che di mio ſentimento l'hò ſolo raccolto dalla Maeſtra delle coſe, ch'è l'eſperienza, per altro ſtimando, & applaudendo alli Dottori, che ſcriuono ſolo in ſpeculatiua, laſciando la prattica, mentre alcuno de medemi diſſe non hauer prattirato il caſo di tali rotture; onde, ſe chi hà aſſiſtito alla cura dell'Illuſtriſſimo Signor Conte N N. s'è regolato con l'opinione de Dottori prenarrati, non mi pare, che poſs'hauere alcuna colpa. E però vero, che

per

per il più resta separata la rottura, mà questa tenue diuisione non impedisce col tempo la libertà de soliti moti. Con che attendendo in altre occasioni i suoi commandi, resta con riuerirla di tutto Cuore. Venetia 25. Giugno 1695. T. A.

Eiusdem Excellentissimi D. Petri de Albertis eruditissima scriptura, qua de fractura patellæ Genu enucleatur prędictio.

Conqueritur modò Illustrissimus Comes de leui claudicatione partis Sinistræ propter vehementem percussionem factam in Genu ex scalis desiliens, qua percusione patella articulum corroborans per transuersum fracta fuit: adhibita fuerunt ab Excellentissimo Chirurgo omnia illa remedia, quæ huiusmodi fracturæ conueniunt, futuram tamen prædicendo leuem quandam claudicationem, corroborando tale prognosticum validissimis rationibus, et authoritatibus doctissimorum veterum virorum, Ambrosij nempe Parei, et Fabritij Hildani, a quibus sententijs parùm distat opinio (Per Excellentissimum

simum D. Odoardum Ciaccium) Stalpartij, ac Matthæi Sladi asserentium obseruasse fracturas patellæ per transuersum factas optimè curatas, & nullum incommodum attulisse Ægræ, nisi quòd non ità facilè gradus scanderet, quod idem est per dictum Excellentissimum Odoardum, quàm leuis claudicatio. Fabritius igitur Hildanus, Cent. quinta, obser. 88. inquit. Cum fractura patellæ fuerit per transuersum, musculi præcipuè 7. 8. 9. versus coxam trahunt, tendo verò, qui sub genu Tibiæ ossi inseritur, patellam deorsum protrahit; hinc in medio ità disiunguntur, vt labia fracturæ propter validissimã attractionem musculorum, & Tendonis nunquam coniungi possint. Ex hac disiunctione enim patellæ, cùm musculi tibiam mouentes, inprimis 7. 8. 9. robore suo destituti essent, mirum non est claudicationem consecutam fuisse, ægrumque tibiam vix sublevare posse. Paræus quoque lib. 14. cap. 22. asserit se neminem vidisse fracturã patellæ per transuersum laborantem, qui non

clau-

claudicaret. Sed pace istorũ doctissimorum virorum, ac aliorum excellentissimorum chirurgiæ professorum, virtutem quorum summe opere veneror, rogans me excusatum habere, si in hoc casu nimis liberè meam sententiam exponam, et dicam, quòd in his similibus affectibus experientia mihi semper contrarium demonstrauit: multos enim habui Venetijs fractura patellæ per transuersum correptos, et, vt ingenuè fatear, omnes, Deo fauente, trimensis spatio habuerunt ambulationem, adhibitis opportunis remedijs sine aliquo impedimento, ac aliqua leui claudicatione. Quando nam Pareus dicit se neminem vidisse etc. non dicit, quòd impossibile sit, et quòd necessaria semper sit claudicatio. Amplius Fabritius Hildanus, quod notandũ est, ait, quòd Vir ille in sua obseruatione propositus, multis vexabatur doloribus; vnde ratione doloris maior fuit facta ad læsam partẽ humoris attractio: qua attractione, puto, quòd opus fuerit soluere adhuc aliquantùlum fascias, ad euitandã in-

flam-

flammationẽ, et dolores tollendos, quibus de caussis mirum non est, si labia patellæ non benè se mutuò copulata fuerunt, et consequenter sequuta sit claudicatio. Imò potest etiam esse, quòd humor ille ad partem attractus capacitatem articuli impleat, & exiccatus articuli motum impediat, et claudicationem causet, aut magnitudine calli, aut medicamentis in principio nimis laxantibus, aut adstrigentibus, et humiditatem patellæ exiccantibus, aut etiã cũ non benè repleta fuerit poplitis cauitas, et sequutus sit aliquis motus ante quadraginta dies, post quos sollummodò licet eos exercere resoluendi gratia humores inter illas partes contentos. Bernardinus Doctissimus Genga reprobat potiùs, quàm approbat Veterum opiniones, asserens, necessarium non esse in huiusmodi fractura impedimentum, aut abolitio motus, aut claudicatio, nisi quando patella fracta fuerit in plures partes, et aliquod fragmentum positum sit intra Tibiam, et Femur, aut quando fragmenta illa musculorum

par-

partes, vel tendones pungant, dicens etiam idem Genga, quòd tunc necessarium est impedimentum motus, aut claudicatio, quando os fractum est illud, quòd sustinet sua vi aliquam partem corporis, sed cum patella sit os ad melius esse tantùm, & pro corroboratione articuli, opus non est, quòd necessariò sequi debeat, aut tale impedimentum, aut claudicatio, leuis licèt, vti ego supradixi meis experientijs Venetijs adhibitis: Inter quos laborantes fuère Illustrissima Lauredana Monialis in S. Iustina, Mulier fabrilignarij in S. Angelo, Vir quidam apud D. Andream, nec non alius vir mastelarius apud D. Thomam, qui feliciter conualuere, & hoc satis pro expositione meæ opinionis experientia perceptæ in obsequium dicti Illustrissimi Comitis &c. **Petrus de Albertis M. Ph. ac Ch. Doct.**

Audiat interim Excellentissimus Defensor ab ipsismet patientibus rotulas trāsuersim fractas, à pręfato Excellentissimo d Albertis sine vlla claudicatione, aut p

ex-

exiguo incommodo feliciſſimè curatas.

Adi 22. di Giugno 1695. Atteſto con mio giuramento Io Donna Maria Felice Loredana Monica in S. Giuſtina di Venetia, come pochi anni ſono, che per vna caduta mi ruppi la rotella del Ginocchio deſtro per tranſuerſo, e fui medicata dall'Eccellentiſſimo Signor Pietro Alberti Medico Fiſico, e Chirurgo quì in Venetia, e dopò giorni quaranta in circa cominciai à leuarmi dal letto, hauendo per il corſo di detto tempo tenuto il ginocchio dritto, & infaſciato con cartoni, e medicamenti diuerſi, ſenza far mai alcun moto col medemo, & hora per gratia del Signor Iddio, e Maria, e della Virtù del ſudetto Medico affatto mi ritrouo libera nel caminare, e fare qualſiuoglia moto naturale del ginocchio, ſenza riſentimento, ò zoppicamento alcuno. Io ſudetta affermo quanto di ſopra, mano propria.

Adi 24. di Giugno 1695 Affermo con mio giuramẽto io Zuanne Migotto Maſteler in campo à San Thoma, come anni quattro ſono, cioè 1690.

1690. à 21. di Febbararo mi ruppi la patella del ginocchio per trasuerso, e sò stato curato dall' Eccellentissimo Pietro Alberti Medico Fisico, e Chirurgo in Venetia essendo stato per il corso di giorni cinquanta in circa à letto senza mai muouermi con buone fasciature, è cartoni, col tener sempre il ginocchio dritto, & immobile, & hora per Iddio gratia, e virtù del sudetto, mi ritrouo sano, e libero nel caminare, non solo non zoppicando, mà ne meno hò alcun impedimento nel medemo ginocchio, sì nell'inginocchiarmi come piegarlo. Et io Giuseppe Siluetti hò fatto il sopradetto attestato à nome del sopradetto Migotto per non sapere lui scriuere così pregato da lui.

Adi 24. Giugno 1695. Attesto con mio giuramento io Agata di Gio:Battista Fanto in Campo à S. Angiello, come già alcuni anni per vna caduta mi hò rotto la rotella del ginocchio per trauerso, & in alcuni altri pezzi, e sono stata curata dalla virtù del Signor Pietro Alberti Medico, e Chirurgo in questa Città di Venetia, es-

ſendo ſtata giorni cinquanta incirca à letto con il ginocchio ſempre dritto, & infaſciato con cartoni, e medicamenti ſenza mai muouerlo, & hora per Iddio gratia, e virtù del medemo mi rouo totalmente ſana del medemo ginocchio, ſenza alcun incommodo, e ſenza alcun ſegno di zoppicamento, eſſendo veloce non ſolo nel caminare, mà anco nel correre. Io Nicola Frutem feci la preſente pregato dalla ſudetta Agata per non ſaper lei ſcriuere.

Reſponſio Epiſtolaris Excellentiſſimi D. NN. Medicinæ, & Chirurgiæ Doctoris mihi data.

Tre Anni ſono cadde in vn foſſo, mentre voleua ſaltare da vna parte all'altra, il Signor Canonico Sebaſtiano Carnelli da Matelica che andaua à caccia, ſi fece vna frattura traſuerſale nella patella, ò rotella del ginocchio ſiniſtro, guarì, e camina beniſſimo non eſſendoli reſtato impedimento veruno; è ben vero, che biſogna vſare in queſte fratture ogni diligenza di tenere,

con

con l'infasciature vnite le parti diuise della rotella sin dal principio della frattura, che altrimente pochi restano liberi Matelica 18. Luglio 1695.

N. N.

Respontio Epistolaris Excellentissimi D. Ignatij de Rāponis Laureti Chirurgiā publicè profitentis mihi data.

Molta sodisfatione m'hà recato la sua gratissima, mētre v'hò ricouusciuta la memoria tenuta d'vn suo seruitore, il quale gl'esporrà il caso nella conformità successe in persona del Sig. Don Benuenuto Biscia beneficiato di questa Catedrale nel mase di Gennaro dell'anno 1689. Il medemo Signor caddè auanti il palazzo dell'Illustrissimo Signor Conte Nappi, doue fui chiamato per curarlo; veduta, & esaminata con accuratezza la parte offesa, vi riconobbi la frattura trasuersale della rotella del ginocchio, e non mancai di farla ben considerare non solo ocularmente, mà anche con il tatto dall'Eccellensimo Signor Ansossi Medico, & altri particolari,

che per breuità tralaſcio, & tanto feci per non eſſer ſottopoſto alle calunnie, che detta frattura traſuerſale non vi foſſe, mentre detto Signore reſtò libero come al preſente ſi puol vedere, e riconoſcere. E'ben vero, che da pochi Autori vien trattata diffuſamente ſimil cura, & anche dalla più parte ſi portano pronoſtici in tal caſo di claudicatione; Mà l'eſperienza m'hà dimoſtrato diuerſamente non ſolo in Loreto, ſi anche per il progreſſo di molt'anni, doue hò fatto il mio ſtudio nell'hoſpidale della SS. Conſolatione di Roma, hò veduto ſimili caſi, e mi par lecito, per autenticare il mio detto portarne il caſo, che riferiſce Matteo Slado riportato da Bernardo Blaſio nel commento al Sintagma anatomico di Gio: Veslingio Cap. 17. pag. 20. Con le ſequenti parole: Vidit D. Sladus vtrumque hoc os per tranſuerſum fractum à Chirurgo Stapelmoer ſanatum nullum incommodum peperiſſe ægræ, niſi quòd in graduum deſcenſu paulò tardior eſſet: il medeſimo parla della rotella del ginocchio.

Nel

Nel mentre V. S. può star di buon animo, e non prendersene fastidio, che non solo vien difesa dalla prattica, mà anche autenticata la sua reale opinione da Autori tanto celebrati ne nostri tempi, e per fine resto à suoi stimatissimi commandi Loreto adi 16. di Maggio 1695. I. R.

Testimonium exhibitum ab Excellentissimo D. Medicinæ, & Philosophiæ Doctore Fuluio Bittozzio transmissum ad per Illustrum, & admodum Excellentem Dominum Ioannem Baptistam Agnozzium, in Maceratensi Collegio vtriusque Medicinæ Phisicæ, ac Chirurgiæ professorem publicum.

Con la presente fò piena, & indubitata fede, qualmente medicai nel tempo, che fui Medico di Tolentino, vn tal Giulio Belli, in quel tempo seruitore del Signor Pietro Bernardi da Tolentino, per vna rottura della rotella à trauerso del ginocchio, il quale guarì, & hora è viuente, e serue senza impedimento alcuno, e la

viddi in Roma poch'anni dopo, e mi disse, ch'era guarito benissimo. Questo caso successe nel secondo, ò terz'anno, ch'io mi trouai Medico di detta Città del 1674. ò del 1675. del mese, non mi ricordo, se fù di Maggio, ò di Giugno, che per esser molto tempo non mi souuiene alla mente. Ne viddi vn altro caso à Torino, mentre fui in quella Città, che lo medicò mio Zio Francesco Bittozzi, e parimente guarì, che sarranno trascorsi vicino à quarant'anni. Non sarò più lungo facendoli humilissima riuerenza Mogliano alli 17. di Giugno 1695. Fuluio Bittozzi.

Vt tandem aliquid mei in huius primæ conclusionis confirmationem addam, & ne Excellentissimo Defensori tantus lactator videar, audiat quæso libenti, & amico corde, quæ proximè sequuntur cōtestationes.

Ego infrascriptus fide, & iuramento testor anno 1690. Mense Septembris vidisse in Xenodochio SS. Sacramēti Ciuitatis Maceratæ Ioannem

nem filiū q; Dominici vulgo dicti, Carradore, fractura vtriusque tibiæ, atque transuersali fractura patellæ genu sinistri laborantem, ab Excellentissimo D. Andrea Veronici, supradictæ Ciuitatis primario Chirugo, perfectè curatum inter septuaginta dies sine vllo inceßus incommodo, atquè vlla claudicatione superstite, in quorum fidem &c. datum Die 16. Iulij 1695. Ioseph Ozerius Philosophiæ, & Medicinæ Doctor manu propria.

Ego infrascriptus attestor pro veritate vidisse anno 1690. Mense Septembris in Nosocomio SS. Sacramenti Ciuitatis Maceratæ Ioannem; filium quondam Dominici, cognomine carentem, sed vt vulgo, Carradore, non tantùm fractura transuersali patellæ genu sinistri laborantem, verùm etiam vtriusque Tibię, qui Patiens post septuaginta dies probè curatus fuit ab Excellentissimo D. Andrea Veronici meo præceptore dignissimo, atque supradictæ Ciuitatis Chirurgo primario absque vlla claudicatione su-

sub-

subsequuta. In fidem &c. datum Maceratæ die 16. Iulij 1695. Ioannes Baptista Agnozzius Philosophiæ, & Medicinæ doctor, atque inclitæ Ciuitatis Maceratæ publicus Chirugię professor manu propria.

Noi infrascritti attestiamo mediante il nostro giramento d'hauer veduto, & assistito nel 1690. del mese di Settembre come alli 2. ad vn pouero Carradore, che si chiamaua Gio: figlio di Domenico da Ciuitanoua, il quale per vna caduta, che fece dal carro, si ruppe ambe due l'ossa delle gambe, & anche la rotella del ginocchio sinistro per trasuerso, il quale fù medicato in questo nostro Hospitale dal Signor Andrea Veronici Chirurgo primario, e restò il sudetto libero in settanta giorni senza Zoppicare, e partì dal nostro Hospidale sano, e saluo, e senza Stampelle nel mese di Nouembre di dett'anno. Io Liberato Minicucci fattore dell'Hospidale, hò scritto per verità quanto di sopra mano propria &c.

Io

Io Isidoro Agostino Pascolini Hospidaliere, & Infermiere di quel tempo affermo per verità quanto di sopra mano propria. In Macerata a di 16. Luglio 1695.

Alterum Patientem curaui anno 1684. Mense Februarij, Pisauri chirurgiam publicè exercens, nomine Camillum de Franceschinis Riminensem, ętatis annorum circiter viginti, pleni habitus, & sanguineę constitutionis. Hic Pisaurum pertrãsiens supra glaciem cecidit, dextrumque genu fortiter percussit vt patella trãsuersim fracta restiterit, quę quidem fractura à me curata post quinquaginta dies nullam reliquit claudicationem, nec vllum perexiguum incessus incommodum.

Rationis, & experientiæ columinis, quibus vtraque Medicina firmissimè nititur meo Excellentissimo Defensori ob oculos posui transuersalem rotulæ fracturam, à Docto Expertoque Chirurgo cura-

ratam non ſemper inceſſus incommodum aut claudicationem reliquiſſe, vt ipſe falſo putauit; E vicinis oris, & à pauciſſimis numero Profeſſoribus, haſce paucas obſeruationes excerpſi: ac ſi à pluribus, ac pluribus, & è longiquioribus regionibus alios caſus perquiſiſſem, centenos vtique inueniſſem, quod non feci, tum quia recenſiti ſatis ſunt, quibus Defenſoris aſſertio ruat: tum nè hæc mea diſſertatiuncula fruſtra excreſceret in volumen. Sed tempus imminet, vt ad ſecundam concluſionem properem.

Secunda Conclusio.

Potuit Excellentissimus Defensor in curando decipi, & hinc Illustrissimus Patiens claudus restitare.

PRobatur prior conclusionis pars; primò ratione desumpta ex fallaci medicæ facultatis conditione. Hęc vtiquè coniecturis firmata medicum occupat inter omnimodam scientiam, & omnifariam ignorantiam ex Gal: de loc: affect: Cap: 1, & in particularibus sæpè imponit medicis, etiam præstantissimis Hinc meritò inquit Cous lib: de lege, *maius sæpè à Medico quam ab ipso morbo impendet periculum,*

lum, cum facile sit à suis, artificiosis licèt coniecturis, medicum decipi, & hinc morbũ augere, aut alios effectus accire. Meus igitur Excellentissimus Defensor, prestantissimus licèt in medendo, ab hoc Medici familiari lapsu nullo absoluitur iure.

Probatur secundò tot Medicinæ Principum Cultorum testimonio, qui, ne posteris errandi occasionem relinquerent, in suis operibus errasse prudentissimè fatentur. Gal. 2. de loc. aff. Cap. 5. in se ipso patiens dolorem Colicum putauit esse renalem: lib. de precogn. ad Posthumũ Cap. 8. in curatione vxoris Boeti vnà cum alijs curantibus Medicis bis se errasse fatetur, multosque suos alios errores alibi suorum operum patefecit. Hipp. Medicorũ Princeps lib. 5. Epid. sect. 8. text 41. & 42. in duabus feminis tentasse mensium profluuium, & nihil contulisse narrat: in text. 62. 68. 69. & 86. curantem se colicũ do-

doloremcum calidis,ijs non iuuantibus,ad frigida cum vtilitate tranſijſſe pronunciat. *Auenzoár Arabicæ ſectæ* anteſignanus in lib. primo Theiz tract. 15. cap. 13. ſe cauſam cuiuſdam ęgritudinis nō cognouiſſe maniſeſtè pronunciat: lib. 2. tract. 5. cap. 3. in errorem cecidiſſe affirmat, dum corroſionem Matricis ſanare intenderet: & tract. 3. cap. 2. ſe erraſſe in curatione propriæ vxoris, cum eſſet grauida, aſſeuerat. *Aretheus* lib. 4. Chronion. cap. 1. cauſam veſſicularū aquoſarū in Hidrope ortarū ignoraſſe affirmat. *Alzabarauius* lib. 31. pract. ſect. l. cap. 15. hęmorragię, ex quacunque cauſa, vel parte corporis obortæ, originē ſe neſcire tradit. Omnes hi Medicinę Proceres fuerunt in errores lapſi quædam penitùs ignorando, & quædam malè iudicādo, cum ſolius Dei ſit nec fallere, nec falli.: Hominum contra falli ſępè, & fallere. Sequitur indè Excellentiſſimum Defenſo-

rem,

rem, cui non magis licuit adire Corinthũ, multo facilius errare posse, sicuti ipsum erasse.

Tertio probat experientia infelix nimirum euentus Illustrissimi Patientis, qui vt fama peruulgat, in ascendendo, & descendendo non leniter, vt Defensor prædixit, sed acriter claudicare conspicitur, nec inplanitie omninò commodè incedere obseruatur. Potuit itaque in fracturam curando è sana methodo multiformiter ab errare, quod ne gratis dixisse videar, & ante quam solidis argumentis ostendam, in fractis ossibus curandis indicationes firmiter seruandas recensebo, nempè extensionem, repositionem, conseruationem accidentium correctionem, & calli generationem, quas licet Excellentissimus Defensor in edita sua defensione satis enumerauerit, casui tamen aptasse non constat; qui nimò ab ijsdem multifariam

riam rec... isse videtur, quorum recessuum medio.

Primò confirmatur conclusio, quia Excellentissimus Defensor recessit à recto curandi tramite in repositione, nam voluit proprio Marte labia patellæ fractæ tantum hiare, quantum spatij occupat pollicis latitudo, vt digito monstrauit Illustrissimo D: Iacobo Baldinuccio Piceni Tesaurario, alijsque nobilibus Equitibus, casui tunc præsentibus, asserens se velle, sibique magis arridere, totam calli portionem fracti ossis hiatu à natura interponi, quam callo patellam cum epyphisibus coalescere, quod primò fuit contra methodi axioma, *contrarijs contraria curantur*, quo duce indicanti partis vnionem tollenti congruit indicatum, seu remedium vnionem restituens, cui præcepto nequaquam obptemperauit Excellentissimus Defensor, quinimo ipsum respuit partium rotulæ fracta-

rum

rum solutam vnitatem hiatu sustinendo. Pręcipuam in ossibus fractis curandis, & ab omnibus receptam indicationem neglexit contra Paræum loco supra cit: Cap. 4. sic alloquentem: *os fractum luxatumque, aut elocatum curare est ipsum pristine suæ figuræ, & situi restituere.* Huic essentiuntur ferè omnes, & pr. Franciscus Peccettus lib. 4. Cap. 21. inquiens: *Medicus optimè inuicē partes committere debet, & secundum naturalem figurā ęquare.* Fabritius Hildanus Cent. 5. obseru. 88. de indicationibus, quę requiruntur in curatione cuiuslibet rotulæ fracturæ verba faciens, sic progreditur: *Quin etiam propter validissimam musculorum attractionem labia patellæ fractæ statim ab initio arctissimè coniunguntur* Paulus Ægineta de re medica lib. 6. Cap. 104. vult in hisce fracturis, vt extenso crure patella, quæ in duas partes diuisa est, digitis contrahatur donec labia fracturę mutuò se contingant,

& com-

& committantur Gulielmus à Saliceto lib. 3. Cap. 13. de fract. rotulæ genu pag. mihi 347. hæc scribit: *os hoc aliquando frãgitur secundum latum, aliquando secundum longum, sicut & alia, quomodocunque fiat, non requirit, nisi vt debitè restauretur, & equetur per manus medici cũ iuuamento ministrorũ idoneorum, vt supra in cap. de Adiutorio, & Focilium bracchÿ, & cap. de Coxa extendendo & extirando gambam forti extiratione, & premendo forti expressione, & sic fracturam decenter equando*. Ad quid autem tot scriptorum monumenta in opem afferre, quãdo hoc curandi praeceptum in vniuersis fracturis ossium vsu venit religiosè obseruandum, in quibus validissima musculorum accidit attractio & in qualibet earum labia fracta arctissimè coniungenda?

Interim obstupesco, Excellẽtissimũ Defensorem tantam in hoc casu Hildano fidẽ præstitisse claudicationẽ pertimescen-

do ex ineuitabili musculorum attractione oriundam, quæ ijsdem musculis arctè, ritèque detentis facile fuit arcenda, & ab eodem Hildano recessisse, hiatum permittendo ob calli Estuberantiam, & hinc articuli successuræ rigiditatis metum, quem nil pertimuit, impossibilem imò existimauit Hildanus loc: cit., vbi apertissimis verbis asserit, difficille esse in transuersim fracta patella calli extuberantiam tantam esse posse, vt magnam cauitatem, quæ inter femur, & os tibiæ est, ita adimplere queat, vt motum functionemque genu impedire possit. Huic siquidē doctrinæ in casu propositi Illustrissimi Patientis, cui nullum ab initio accessit accidens notabile, hęrere debuit Excellentissimus Defensor, & fractis rotulę partibus hiatum inhibere, quo permisso apertius fuit reseratum iter extuberantię calli, sed meliùs fractę rotulę vnius frustuli extra alterum relictę prominentię.

Se-

Secundò confirmatur Conclusio, quoniam Excellentissimus Defensor dupliciter recessit à sana coniunctas partes seruandi methodo, vt prefatus Illustrissimus Eques, alijque mihi denunciarunt, &

Primò cum glutina super partem affectam ad euitandam musculorum attractionem applicata, nec satis lata, nec satis producta inter sese, & ab osse fracto valde distauerint, parumque femoris, & tibiæ musculos, ac ligamentum comprehenderint, filis indè frustra adhibitis, glutinis vtriusque stabilitatis obtinendæ gratia, cũ irritare potiùs, quàm prodesse apta nata sint, prout dolor inde in acutiorem euectus, & màior consequuta inflammatio certissimam exhibuerunt fidem. Ratio potiùs dictauit, vt longo, latoque glutino superiùs, & inferiùs totam musculorum regio muniretur, ne retrahi possent, indeque illorum margines vi aliqua iungeren-

tur, ita vt vniuersā patellā operirent imposita ferula rotūda de solea, vt docet Guido à Cauliaco tract. 5. doct. 1. Cap. 8. sic alloquens de fractura rotulæ genu: *& oportet in restauratione eius, vt dicit Haliabbas, fragmenta cum digitis adunare, & secundum suā figuram adæquare, emplastrare, & ponere hastellam rotundam de sola, deinde ligare, vt conuenit.* Idem approbat Ioannes Fragosius lib. 5. Cap. 14. & Ioannes de Vico lib. 6. de fracturis ossium Cap. 15. sic italicè discurrens: *Legando quello* (hoc est glutinū) *con vn pezzo di cuoio secondo la rotondità della patella.* Et hoc consulunt omnes, vt tendines patellam circumligātes firmiter detineantur. Et quis ergò Excellentissimum Defensorem, seu potius nouatorem, malus impulit genius, quo, & proprio marte dimiserit hastellam rotundam (*Vulgo dicta Ciambella*) solea, aut assulis, aut pellibus, aut petijs, aut crassa charta concinnan-

dam, vtpotè longo vſu comprobatam, tãque neceſſariam, vt ſibi ſuſpecta, ac ineuitabilis muſculorum attractio coerceretur, in quæ ſuo ſitu, ac ſymmetrica figura fracti oſſis fruſtula coniuncta ſeruarentur?

Errauit ſecundò in perperam conſeruando, partem fractam ſingulis quinque diebus huc illuc mouendo, Falloppium imitatus Tyrones admonentem, articulum mouere in hanc, vel illam partem, vt humor contentus in articulo foras elidatur. Hìc non animaduertit Excellentiſſimus Defenſor, Falloppium in luxationibus tantùm hoc præceptum conſuluiſſe, in quibus nil adeſt periculi, quo ex illa agitatione aliquod fracti oſſis fruſtulum è proprio ſitu proſiliat, aut fractarum partium labia ſeiungãtur, qua de cauſa Hip.lib.de Artic. præcipit fulcire membrum, quod in commentu explicat Galenus. *Neque enim aliud eſt fulcire membum, quàm ab omni parte ſtabi-*

liter collocare, ſic vt nullo pacto moueri poſſit. Idem Aſſerit Auicenna lib: 4:fen.5. tract. 2. Cap. 2. *Et oportet, vt quieſcat membrum quantum eſt poſſibile.* Paręus lib. 14. Cap. 22. de fract. patellæ Genu, ſic ait. *Iubetur Æger crus extendere, imò intentum toto tempore, quo callus fiet, tenere*: & alibi cautiùs monet: *Cauebit igitur Æger, quantū in ſe erit, ne fractum membrum antemoueat, quàm callus indurueri.* Celſus lib. 8. idem ſic pręcipit: *Quoniam fracta oſſa ſępe mota ſępe ſoluta ſunt, poſſunt enim diù quieſcendo coire.* Ioannes Fragoſius loco ſuperiùs adducto italicè addit: *Notando, che tutto il tempo da generarſi il poro ha da ſtare diſteſa la Gamba.* Hęc omnia clariùs explicat Sennertes Medic. Pract. de fract. lib. 5. part. 5. Cap. 21. *Crus primò extendendum eſt, hinc a chirurgo patella ſeù in duas, ſeù plures partes fracta coniungenda, & Emplaſtrum, vel cataplaſma fracturæ conueniens, quod oſſa compoſita retineant*

tineant imponendum, membrumque conuenienter deligandum, & impositis rotulis stramineis, vt in fractura cruris fieri solet, membrum immobile tenendum, & omnino cauendum, ne crus flectatur. Hoc enim si fieret, fragmenta composita suo loco iterum dimouerentur. Petrus de Pigręis de fract. curat. lib. 6. Cap. secondo pag. mihi 445. *Vtile enim*, inquit, *est fracturæ apparatum ante octauum, aut nonum diem minimè mouere, nisi quod fortè acciderit, quo eum tollere cogamur.* Idem suadet Ioannes Andreas à Cruce de modo generali curandi fracturas lib. 2. Cap. 3. pag. mihi 340. sic italicè loquendo: *Mà se non ui è ne pruritu, ne infiammagione, ne sospetta esulceratione, ne dolore, e l'ossa si trouano ben commessi, e riuniti, e la frattura proceda bene, è vtile, che le ferule, & i ligamenti à questo modo si tenghino fermi sino al decimo dì, ò al quintodecimo, ò pure anco al vigesimo.* His tandem se subscripsit Hieronimus Fabri-

 tius

tius ab Aquapendēte de chirurgicis operationibus de chirugijs, quæ ad ossa pertinent de ossium fracturà pag mihi 163. aiens: *Causæ rosolutionis membri duæ sunt : prima fasciarum laxatio ; secunda pruritus : propter has duas causas cogimur rursus fracturam deligare, alioquin nequaquam esset resoluēda, quia intentio est seruare perpetuò membrum immotum : quòd si toto curationis tempore id fieri posset, id vtique eßet optatissimum, & optimum, sed vbi laxantur fasciæ, periculum est, ne fractura peruertatur, & diffideat ; propterea rursus deligamus.* Eiusdem sententiæ fuit Alexander Alexius Cratyli lib. 3. de morbis ossium pag. mihi 269. sic dicens: *Pro secunda est obligatio per fascias, & per ferulas, quæ tamdiù seruanda, donec callum natura inducat.* Nil mirum igitur, ex hoc, & altero prenarrato patratis erroribus æqua partiū fractarum connexione sublata, frustulum extra alterum prominens restitisse, & cal-

lum extuberasse non absque Illustrissimi patientis notatu digna claudicatione.

Tertiò confirmatur conclusio, cum iam satis pateat, Excellentissimus Defensor quàm latos fores recluserit illis accidentibus; quæ ex sui natura (vt per primam conclusionem constat) secum fractura haud pretulerit, & hoc perquàm facile deducitur primò ex parte agitata; secundò ex filis adhibitis, & forsan tertiò ex oleis applicitis. Agitatio siquidem attrahendo, & fila irritando maiorum humorum influxui validas attulerunt opes, dolorē acriùs concitando, & inflammationem exasperando; & hinc superfluo callo, & humorum intra articulum concretioni adminiculum prestiterunt. Olea demum maiorem lubricitatem, ac mollitiem articulo addere valuerunt contra preceptum. Gulielmi à Saliceto lib. 3. Cap. 15. in hæc prorumpentis: *sed attende, quòd in isto casu non de-*

bet

bet poni petia linea in ol: ros: infusa quia istud membrum, quando frangitur, non requirit nisi festinam coniunctionem, & annexionem partium ad inuicem, & quietem, sed talis petię appositio propter vnctuositatem, & humiditatē oleagineam aliquam in mēbro mollitiem induceret, quod idem prohibet Ioannes Dolęus in Aenciclopedia Chirurgica rationali lib. 6. Cap 7. de ossium fract. pag. mihi 444. *A pinguibus,* ait, *oleo popul. Vng. Cerus: &c. abstinendum esse monemus.* Perpendat ergò Excellentissimus Defensor, quàm apprimè suo chirurgico muneri explendo satisfecerit in casu Illustrissimi propositi Patientis.

Secundam conclusionis partem satis probat infelix claudicationis euentus, nec vllo eget opere, vt vlteriùs confirmetur. Sit licèt integerrimè discussum, Excellentissimum Defensorem in proposita pertractanda fractura toto aberrasse Cœlo, &

è ſanè medendi methodi legibus tot deceſſiſſe modis, & licèt magnorum inſtar virorum, ac Medicinæ principum ſe in eadem aberraſſe proprio fateretur ore, nil proinde opprobarij ſuam ſummam ſcientiam, atque peritiam offenderet, aut imminueret: imò de ipſo dici poſſet, & verum fieret, quod Celſus lib. 8. Cap. 4. de magno noſtro ſene Hipp. a futuris decepto ſic ſcriptùm habet. *E futuris ſe eſſe deceptum Hipp. memoriæ commendauit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro conuenit etiam ſimplex erroris confeſſio, præcipuè verò in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur.* Libentiſſimè fateatur ergò meus Excellentiſſimus Defenſor Illuſtriſſimum propoſitum Patientem perperam curaſſe, & claudum effeciſſe, ne hæc ſua

me-

medendi methodus trãſeat in exemplum, ſed angue peius fugiatur, quo iure in hominum ſanitate ſeruanda, ac redimenda, cautiùs a poſteris procedatur. Supereſt interim Defenſoris argumenta diluere, pro quo ſit.

Tertia Concluſio.
Defenſoris Argumenta nullius ſunt momenti. Probatur medio reſponſionum ſubſtus apponendarum.

PRimò gratis ſupponit Hildanus in hiſce fracturis ineuitabilem muſculo-

rum attractionem, cum hi musculi satis ab arte, & arctè firmati ex vi recedant ab attractionis motu. Satis liquet, è causis violenter agentibus innatas rerum motiones cohiberi: aqua vase foraminibus subtus patente pro viridarijs irrigandis detenta deorsum ferri coercetur, nec ferrum à magnete in aere pendulo attractum, & sursum elatũ suæ grauitatis centrum repetere valet: hyemis algor elasticam aeris exspansionem cogit, & sicut grauia violenter sursum trahuntur, tractaque detinẽtur, ità & leuia deorsum tracta contra vim sibi inditam ibidem immota firmantur. Hoc artificioso iure omnes Chirurgię cultores in ossium curandis fracturis musculorum attractionem violenter præcaueri præcipiunt, ne curationi impedimento sint, quod præceptum frustraneum, inconsultum, quinimò nequaquam seruandum foret, quando musculorum attractio
apta-

aptatorum ligaminum medio perenniter ineuitabilis esset. Respondetur igitur Hildano, & Excellentissimo Defensori Hildanum sequuto, musculorum attractionem ex parte motricis facultatis liberè mouẽtis, & organi non præpediti euitari non posse, at ex parte ligatæ, facultatis, & organi ligati, facultatique non obtemperantis euitari vtique posse, cuius contrariũ nulla suadet ratio, praxis non excipit, & fracturas curandi methodo perenniter obsistit: quare in fracturis, quas feliciter curatas quã plures praxi studentes enarrant, præfata musculorum attractio cohibita prorsus fuit supponenda, nec curationibus impedimentum vllum attulisse; sicuti & in illis fracturis, quæ licèt non omnimodè curentur, parum tamen deflectentes supersunt ab integro sanitatis statu satis retusa existimanda venit, quas, & ipse Defensor haud renuit, aut lenes claudicatio-

catio-

cationes, siuè perexigua impedimenta, post se relinquere supponit. Hildanus interim excusandus, cum binos tantùm casus harum fracturarum se inspexisse referat, quorum primus fortem claudicationem reliquit, & alter patientem sustulit è viuis, quod vtrumque contigit ob sæuissima accidentia, quæ fracturis superuenere.

ET LEO FIRMATVR, FIRMANTVR CORNVA TAVRI,
LEPRA VELOX, CERVVS, SISTITVR ATQVE CANIS,
MVSCVLVS EXPERTO SIC CEDIT SÆPE CHIRVRGO.

Secundò facta iam vitabili præfata musculorum attractione, cui Excellentissimi Defensoris tota argumentorum innitebatur cohors, cætera eius corruunt argumenta, quoniam deiecto fundamento fundata quoque demoliuntur: Et si iam constat, rotulam transuersim fractam in tot prænarratis casibus, & in alijs, quorum

no-

notitiam nostra Musæola adhuc forsan, non prælibarunt sanæ coniunctioni fuisse restitutam, dico, quòd actio motus in hisce fracturis non semper læsa dimititur, quoniã mola motus instrumentum non semper malè superest disposita, quod de rotula scissa, ità, & de ligamento respondendum, cum eadẽ sit vtriusque ratio, quoties ligamentum haud sit notabiliter læsum, quod in casu Illustrissimi propositi patientis nullo constitit modo, Debuit ergo potiùs Excellentissimus Defensor in casu claudicationẽ certè præuidere ex hiatu suo marte permisso, glutinis, & filis perperam applicitis, quibus ipse motus instrumentum, plùs quàm ipsa fractura malè disposuit,

Tertiò occurritur aucthoritati doctissimi Parei suppositione, qua ipsa fatetur, se omnes hasce fracturas cum superstite claudicatione obseruasse, non verò negat, alios easdem sine claudicatione, & incommo-

do obseruare potuisse. Hec fuit Parço necesse suspicari in harum fracturarum curationibus ab inducta per calli concretionem consolidatione liberam genuflexionem semper impediri, presertim per ascensum, vt ipse notat loco citato: praxis vtique docet, vt plurimùm in reliquis ossiū fracturis, vt censuit quoque Hildanus loc. cit; & Sennertes Medic. pract. lib. 5. parte 5. Cap. 21. nisi contritio ossis, & periostij fuerit maxima, naturam tam decenter, & elegāter ossa connectere, vt rarò relinquatur vestigium fracture. Periostium enim quamdiu integrum est, materiam calli retinet, quo minùs in extuberātiam excrescere queat. Quid igitur coegit in casu Illustrissimi Patiētis (vbi nil patuit ex Defensoris historia de patelle fracte, & Periostij magna contritione, aut notabilium accidentium accessu) ex quo calli extuberantia fuit pertimescenda?

Supponatur etiam perioſtium valdè laceratum, adhuc calli extuberantia in oſſis fracti curatione prçcaueri poteſt per iuſtã faſciarum adſtrictionem, & ratio eſt ex Hyeronimo Fab: ab Aquapendente, op. Chirur: lib. 4. de fract. Cap. 7. pag. mihi 147. quia ſicuti faſciç nimis adſtrictç ſufficientis calli generationem cohibet, ita nimis laxç ſuperfluum callum prçſtant; ex quo deducitur ope iuſtç faſciarum adſtrictionis calli extuberantiam euitabilem fieri, quod non bene cogitauit Excellentiſſimus Defenſor,

Quartò interim non ſanè arguitur ab Excellentiſſimo Defenſore, tranſuerſalem rotulç fracturam ex Veterum ſententia incurabilem eſſe, & curatam inceſſus incõmodum, & claudicationem perenniter inferre, cum hæc doctrina non ſit perpetuç veritatis: Veteres vtique plures morbos incurabilitati dicarunt à Recẽtioribus cura-

rabiles factos. Hip: sect. 6. Aph. 8. ait: Vessica profundiùs incisa, aut Cerebro, aut Corde, aut Septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut Iecore læthale est. Gal. lib. 8. de vsu partium, & in 6. Aph. vulnera Cerebri testatur læthalia. Celsus lib. 5. Cap. 25. eadem confirmat. Nullatenus Falloppius lib. 7. de vulneribus Vessicæ fatetur, se vessicam plumbi pillula perforatam sanatam vidisse. Lazarus Riuerius morborum infrequentium obser: 5. pag. mihi 575. de Vessica vulnerata à sclopeto eandē asserit sanissimè curatam restitisse, prout presenti sæculo à Lithotomis profū dè vulnerantur Vessicæ ad extrahendos lapides, & magna felicitate sanitati restituuntur. Schenchius lib. 1. obseruat. de vuln. capitis obser. prima pag. mihi 23. Capitis vulnera sanata vidit, quod idem refert Petrus de Marchettis in Syllog. Chirurg. obser. 2.

3. & 5. vbi narrat sanasse vulnera capitis cũ portione cerebri educta. Antonius Philippus Ciuccius in suo Ariandæ filo refert quendam famulum Pistoniensem, antica, & sinistra thoracis parte cum Corde vulneratum, in quo vulnerati Cordis manifesta aderant indicia, à D. Iuliano primario Pistorij Chirugo curatum in Xenodochio Cappi, vbi post quindecim elapsos annos mortuus fuit, adapertus, ac obseruatus cũ cordis septi cicatrice. Osualdus Crollius in prefat. Basilicæ Chymicæ pag. mihi 64. narrat historiã rustici, qui Pragæ cultrũ ad ventriculum vsque deglutijt, quique post menses ferè duos à Floriano Matthijs Chirurgo fuit curatus. Schenchius lib. 3. obser. Medicinal. de vuln. ventriculi pag. mihi 332. multas, & raras affert obseruationes. Fabritius Hildanus Cent. 2. obser. 34. pag. mihi 110. vulnera sanata Hepatis cum frustulis excisis feliciter curata cõ-

me-

memorat, cuius visceris cum frustulis excisis plura vulnera prosperè curatá se vidisse recenset doctissimus Sennertes pract. lib. 3. parte 6. sect. prima Cap. 7. pag. mihi 748. . Idem præcitatus Schenchius obser. medicinal. lib 3. de vul. intestin. pag. mihi 368. multa intestinorum tenuium vulnera ad integram sanitatem perducta obseruasse fatetur, quod idem confirmat Zodiac. Medico Gall. ann primo obser. 5.

Quintò somnium fuit Defensoris Excellentissimum Genga in sui subsidium, & ius vocare, cum hic præcit. loc. expressè fateatur, se multas rotulas trãsuersim fractas felicissimè curasse, & non sine aliorum Professorum admiratione. Non me latet, Excellentissimum Defensorem tanti Scriptoris epistolam obtinuisse, qua suo claudicanti præsagio opem ferre credidit, & Scriptorem simul ab eo, quod publicè cõcredidit luci, turpiter recessurum putauit;

At responsum ab eo concinnatum tantùm obtinuit, quo Vulgi calumnias Defensor aufugeret, & Scriptor à sua typis edita doctrina, & obseruatione non recedens asseruit, rotulas transuersim fractas sine restitante claudicatione rarissimò curari, & Medicum ijs curandis accersitum admonet, ne mox felices euentus tutò prçsagiat, sed cautè pronunciet hasce fracturas difficillimę, non semper tamen impossibilis curationis esse, eam referens, quam felicissimè curauit in Illustrissimo, ac Reuerendissimo D. Riccardo, Nepis, & Sutri olim Episcopo. Gratis quoque testimoniū affert Excellentissimi D. Pauli Piellæ, cuius contestationem reticuit Excellentissimus Defensor.

Sextò aduersus Stalpartium, in fasciarū solutione rotulam digitis appræhendi, & quòquò versùs moueri suadentē, satis aduersantur indicationes, quibus rotularum

fra-

fracturarum curationes incedunt, & communiter receptæ, vt in secunda conclusione satis fuit demonstratum, & sanè sese gessit Dēfēsor Stalpartij præceptum dimittendo,

Septimò Falloppij doctrina non fracturarum, sed luxationum curationibus congruit, methodoque fracturas curandi, partiumque fractarum vnioni seruandæ omnimodè repugnat. Quarè ex duobus malis, nempè rotulæ laxitate, & articuli rigiditate, quas nullo certo iure fuit suspicatus, nullum Defensori fuit eligendum, quod vt notius fiat, respondendum,

Octauò ad euitandam articuli rigiditatem ex stagnatione humorum intra articulum concrescentium non desunt emollientia, ac discutientia, quibus efficaciùs eliduntur ab articulo, quàm leni articuli motu ad producta temporis interualla repetito, ex quo plus damni, quàm imminen-

tis vtilitatis expectandum. Non desunt repellentia, ac defensiua, quibus expertus Artifex, à primo fracturæ momento accersitus, partem fractam præmuniat, humorumque lapsum inde euertat. Nec necessariò, nec semper in ossium fracturis humores concrescunt, quoniam aut ab ipsius fractæ partis natura, aut ab erudito Artifice, aut non præstito notabili humorum fluxu, qui satis sit rigiditatem inducere, hæc concretio præcaueri queat, & præsertim in casu Illustrissimi propositi Patientis, cui nullum accidens notabile superfuit, quò pregrãdis humorum affluxus in partem fractam alliceretur, & vix fracta rotula fuit accersitus Excellẽtissimus Defensor, cui illicò ab osse fracto irruentes succos facilè fuit citò, ac potenter euertere. Ipsa authopsia docet, multas articulorum fracturas exactè curari nulla restitãnte rigiditate, quare Excellentissimus Defensor ex vnica hume-

i fractura D. Angelæ de Capitostis Terræ
Poli à se curata, & cubiti rigiditatem relinquente, in omnibus articulorum fracturis curandis hanc eandem necessitatem perperam deduxit, cum non omnibus omnia, & casus ab ipso curatus tantùm probet, aliquando, & non semper in hisce fracturis rigiditatem superesse.

Nonò ossis partium fractarum vnio, æquè, & strictim facta mucum, quo os nutritur, ea excipit proportione, quæ satis est, vt partes fractæ, & mutuo strictissimè iunctæ, ac æquatæ iusto, & non superfluo callo colligentur, mutuo adhereant, & continuitatem redipiscantur, quod euidentissimè patet in qualibet corporis parte diù strictim ligata, cui pars supposita potiùs marcescit, quàm augescat, & hoc contingit ob ligamen succi nutritij affluentis molem, & cursum remorans. Paripenso ossis fracti frustula strictim iuncta, & col-

notitiam nostra Musæola adhuc forsan non prelibarunt sanæ coniunctioni fuisse restitutam, dico, quòd actio motus in hisce fracturis non semper lesa dimititur, quoniã mola motus instrumentum non semper malè superest disposita, quod de rotula scissa, ità, & de ligamento respondendum, cum eadẽ sit vtriusque ratio, quoties ligamentum haud sit notabiliter lesum, quod in casu Illustrissimi propositi patientis nullo constitit modo, Debuit ergo potiùs Excellentissimus Defensor in casu claudicationẽ certè præuidere ex hiatu suo marte permisso, glutinis, & filis perperam applicitis, quibus ipse motus instrumentum plùs quàm ipsa fractura malè disposuit,

Tertiò occurritur audthoritati doctissimi Parei suppositione, qua ipsa fatetur, se omnes hasce fracturas cum superstite claudicatione obseruasse, non verò negat, alios easdem sine claudicatione, & incommodo

do obseruare potuisse. Hec fuit Parço necesse suspicari in harum fracturarum curationibus ab inducta per calli concretionem consolidatione liberam genuflexionem semper impediri, prçsertim per ascensum, vt ipse notat loco citato: praxis vtique docet, vt plurimùm in reliquis ossiũ fracturis, vt censuit quoque Hildanus loc. cit; & Sennertes Medic. pract. lib. 5. parte 5. Cap. 21. nisi contritio ossis, & periostij fuerit maxima, naturam tam decenter, & elegãter ossa connectere, vt rarò relinquatur vestigium fracturç. Periostium enim quamdiu integrum est, materiam calli retinet, quo minùs in extuberãtiam excrescere queat. Quid igitur coegit in casu Illustrissimi Patiẽtis (vbi nil patuit ex Defensoris historia de patellç fractç; & Periostij magna contritione, aut notabilium accidentium accessu) ex quo calli extuberantia fuit pertimescenda?

Supponatur etiam perioſtium valdè laceratum, adhuc calli extuberantia in oſſis fracti curatione præcaueri poteſt per iuſtã faſciarum adſtrictionem, & ratio eſt ex Hyeronimo Fab: ab Aquapendente, op. Chirur: lib. 4. de fract. Cap. 7. pag. mihi 147. quia ſicuti faſciæ nimis adſtrictæ ſufficientis calli generationem cohibet, ita nimis laxæ ſuperfluum callum præſtant; ex quo deducitur ope iuſtæ faſciarum adſtrictionis calli extuberantiam euitabilem fieri, quod non bene cogitauit Excellentiſſimus Defenſor,

Quartò interim non ſanè arguitur ab Excellentiſſimo Defenſore, tranſuerſalem rotulæ fracturam ex Veterum ſententia incurabilem eſſe, & curatam inceſſus incõmodum, & claudicationem perenniter inferre, cum hæc doctrina non ſit perpetuæ veritatis: Veteres vtique plures morbos incurabilitati dicarunt à Recẽtioribus cura-

rabiles factos. Hip: ſect.6. Aph. 8. ait: Veſſica profundiùs inciſa, aut Cerebro, aut Corde, aut Septo tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut Iecore læthale eſt. Gal. lib. 8. de vſu partium, & in 6. Aph. vulnera Cerebri teſtatur læthalia. Celſus lib. 5. Cap. 25. ęadem confirmat. Nullatenus Falloppius lib. 7. de vulneribus Veſſicæ fatetur, ſe veſſicam plumbi pillula perforatam ſanatam vidiſſe. Lazarus Riuerius morborum infrequentium obſer: 5. pag. mihi 575. de Veſſica vulnerata à ſclopeto eandē aſſerit ſaniſſimè curatam reſtitiſſe, prout pręſenti ſæculo à Lithotomis profū dè vulnerantur Veſſicæ ad extrahendos lapides, & magna felicitate ſanitati reſtituuntur. Schenchius lib. 1. obſeruat. de vuln. capitis obſer. prima pag. mihi 23. Capitis vulnera ſanata vidit, quod idem refert Petrus de Marchettis in Syllog. Chirurg. obſer. 2.

3. & 5. vbi narrat ſanaſſe vulnera capitis cũ portione cerebri educta. Antonius Philippus Ciuccius in ſuo Ariandæ filo refert quendam famulum Piſtonienſem, antica, & ſiniſtra thoracis parte cum Corde vulneratum, in quo vulnerati Cordis manifeſta aderant indicia, à D. Iuliano primario Piſtorij Chirugo curatúm in Xenodochio Cappi, vbi poſt quindecim elapſos annos mortuus fuit, adapertus, ac obſeruatus cũ cordis ſepti cicatrice. Oſualdus Crollius in prefat. Baſilicæ Chymicæ pag. mihi 64. narrat hiſtoriã ruſtici, qui Pragæ cultrũ ad ventriculum vſque deglutijt, quique poſt menſes ferè duos à Floriano Matthijs Chirurgo fuit curatus. Schenchius lib. 3. obſer. Medicinal. de vuln. ventriculi pag. mihi 332. multas, & raras affert obſeruationes. Fabritius Hildanus Cent. 2. obſer. 34. pag. mihi 110. vulnera ſanata Hepatis cum fruſtulis excisis feliciter curata cõ-

memorat,cuius visceris cum frustulis excisis plura vulnera prosperè curatā se vidisse recenset doctissimus Sennertes pract. lib. 3. parte 6. sect. prima Cap. 7. pag. mihi 748. . Idem præcitatus Schenchius obser. medicinal. lib 3. de vul. intestin. pag. mihi 368. multa intestinorum tenuium vulnera ad integram sanitatem perducta obseruasse fatetur, quod idem confirmat Zodiac. Medico Gall. ann primo obser. 5.

Quintò somnium fuit Defensoris Excellentissimum Genga in sui subsidium, & ius vocare, cum hic præcit. loc. expressè fateatur, se multas rotulas trāsuersim fractas felicissimè curasse, & non sine aliorum Professorum admiratione . Non me latet, Excellentissimum Defensorem tanti Scriptoris epistolam obtinuisse, qua suo claudicanti præsagio opem ferre credidit , & Scriptorem simul ab eo, quod publicè cōcredidit luci, turpiter recessurum putauit;

At

At reſponſum ab eo concinnatum tantùm obtinuit, quo Vulgi calumnias Defenſor aufugeret, & Scriptor à ſua typis edita doctrina, & obſeruatione non recedens aſſeruit, rotulas tranſuerſim fractas ſine reſtitante claudicatione rariſſimò curari, & Medicum ijs curandis accerſitum admonet, ne mox felices euentus tutò præſagiat, ſed cautè pronunciet haſce fracturas difficillimę, non ſemper tamen impoſſibilis curationis eſſe, eam referens, quam feliciſſimè curauit in Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo D. Riccardo, Nepis, & Sutri olim Epiſcopo. Gratis quoque teſtimoniũ affert Excellentiſſimi D. Pauli Piellæ, cuius conteſtationem reticuit Excellentiſſimus Defenſor.

Sextò aduerſus Stalpartium, in faſciarũ ſolutione rotulam digitis appræhendi, & quòquò verſus moueri ſuadentẽ, ſatis aduerſantur indicationes, quibus rotularum

fra-

fracturarum curationes incedunt, & communiter receptæ, vt in secunda conclusione satis fuit demonstratum, & sanè sese gessit Desēsor Stalpartij præceptum dimittendo.

Septimò Falloppij doctrina non fracturarum, sed luxationum curationibus congruit, methodoque fracturas curandi, partiumque fractarum vnioni seruandæ omnimodè repugnat. Quarè ex duobus malis, nempè rotulæ laxitate, & articuli rigiditate, quas nullo certo iure fuit suspicatus; nullum Defensori fuit eligendum, quod vt notius fiat, respondendum.

Octauò ad euitandam articuli rigiditatem ex stagnatione humorum intra articulum concrescentium non desunt emollientia, ac discutientia, quibus efficaciùs eliduntur ab articulo, quàm leni articuli motu ad producta temporis interualla repetito, ex quo plus damni, quàm imminen-

tis

tis vtilitatis expectandum. Non desunt repellentia, ac defensiua, quibus expertus Artifex, à primo fracturæ momento accersitus, partem fractam præmuniat, humorúque lapsum inde euertat. Nec necessariò, nec semper in ossium fracturis humores concrescunt, quoniam aut ab ipsius fractæ partis natura, aut ab erudito Artifice, aut non præstito notabili humorum fluxu, qui satis sit rigiditatem inducere, hæc concretio præcaueri queat, & præsertim in casu Illustrissimi propositi Patientis, cui nullum accidens notabile superfuit, quò pregrãdis humorum affluxus in partem fractam alliceretur, & vix fracta rotula fuit accersitus Excellẽtissimus Defensor, cui illicò ab osse fracto irruentes succos facilè fuit citò, ac potenter euertere. Ipsa authopsia docet, multas articulorum fracturas exactè curari nulla restitante rigiditate, quare Excellentissimus Defensor ex vnica hume-

ri

xi fractura D. Angelæ de Capitostis Terræ Poli à se curata, & cubiti rigiditatem relinquente, in omnibus articulorum fracturis curandis hanc eandem necessitatem perperam deduxit; cum non omnibus omnia, & casus ab ipso curatus tantùm probet, aliquando, & non semper in hisce fracturis rigiditatem superesse.

Nonò ossis partium fractarum vnio, æquè, & strictim facta mucum, quo os nutritur, ea excipit proportione, quæ satis est, vt partes fractæ, & mutuo strictìssimè iunctæ, ac æquatæ iusto, & non superfluo callo colligentur, mutuo adhereant, & continuitatem redipiscantur, quod euidentissimè patet in qualibet corporis parte diù strictim ligata, cui pars supposita potiùs marcescit, quàm augescat, & hoc contingit ob ligamen succi nutritij affluentis molem, & cursum remorans. Paripenso ossis fracti frustula strictim iuncta, & col-

ligata mucum mole exuberantem non excipiunt, quo inde non ſuccedit calli extuberantia: hiatus autem, aut fracti oſſis laxitas exuberantem muci copiam ruere permittit, ex quo affluenter in oſſis ſciſſi fruſtula irruente callus affluentior, & intra fruſtulorum terminos non coercendus ſepè ſuboritur, hinc calli extuberantia, & rotulæ cum epyphiſibus coaleſcentia, hæc omnia ſi ritè penſitaſſet Excellentiſſimus Defenſor hiatū haud amiſiſſet, & hinc nullius rotulæ cum Epyphiſibus coaleſcentiæ dubium concepiſſet.

Decimò nō me latet Excellētiſſimū Deſēſorē animo adamuſſim inſculptis callere indicationibus, quibus in oſſium curandis fracturis incedendū, nec vt hijs inſtruatur vllo egerę magiſtro: ſatis tamen oſtendi, caſui Illuſtriſſimi Patientis eas aptare ignoraſſe, quod eſt quid ſimile Catonis effato. LEGERE, ET NON INTEL-

LIGERE NEGLIGERE EST: curandarum interim ossium, & articulorum fracturarum indicationes Lippis patent, & Tonsoribus in Chirurgorum Gymnasio, Extentio, Repositio, Conseruatio, accidentiũ Correctiò, & calli Generatio, nec videntur esse metaphoræ, aut Gentilium oracula, quæ longo egeant commentu, subtilique interpretatione, vt elucidentur, cum Chirurgi munus externos tractet, oculisque subiectos affectus manu tractandos. Nec facilè ignorantur indicantia, quibus præfatæ indicationes cõgruunt, nempè Extentio ossis fracti aptando situi, Repositio ossi fracto suo situi restituendo, Conseruatio ossi suo situi, figuræque restituto, quamdiù, & vsque ad calli maturitatem, ne iterum dissiliat, detinendo, accidentium Correctio impedimentis, quæ perturbare queunt curationem, subtrahendis, & calli Generatio glutino reparando,

quo ipsamet natura fractis partibus à Chirurgo contiguè repositis vnitatis cōtinuitatem firmiter restituit: Vniuersis hisce indicationibus satisfieri posse puto, quoties non adsint contraindicantia, quæ earundem vsum euertant; & quorum enarratio volumen exposceret. Hęc parua dixi, non vt doceam, sed vt Excellentissimo Defensori paru'um fiat, non sibi licuisse tantum Palladis arcis sacratiores scandare sedes; & alios quoque libasse Maronis dictum. HOC OPVS HIC LABOR.

Vndecimò non ex eo quia scripsi me multas feliciter curasse rotulas transuersim fractas, multasque ab alijs curatas mihi constitisse, sequitur, omnes Chirurgię Scriptores mendacio redarguisse; quo vitio neminem vtique accusaui, prout accusandus foret ipse Defensor, asserens, omnes Chirurgię Doctores, nemine excepto, ex hisce fracturis curatis

clau-

claudicationem perenniter ſupereſſe velle, laudem ſubripiens tot celeberrimis Profeſſoribus, quorum labore, & induſtria earundem multę feliciter curatę reſtitarũt, & abſque vllo incommodo relicto.

Duodecimò ratò patellam frangi veriſſimum eſt: at iſta raritas diſciſſarum patellarũ numero multitudinem non tollit: nec obſtat quin inter mille Hominum milliacentum, & pluribus hominibus ex accidenti queat rotulas diffrangi. Centum vtique harum fracturarum caſus reſpectis decies centenis hominum millibus raras, imò rariſſimos eſſe cenſendos longiſſima ſuadet diſtantia inter centum, & millies mille, non ſimpliciter, ſed reſpectiuè ad alia oſſa firma, quæ faciliùs franguntur, rotulæ fracturę raritati dedicantur, nõ perinde pluralitate deficiunt. Excellentiſſimus inſuper Defenſor parum callere indicat arithmeticis theorijs, in quibus,

 prę-

prçter vnitatem quilibet alius numerus, binarius etiam vnitati quàm proximiùs accidens multitudine conflatur, quo iure si binas tantùm, rotulç fracturas à me, & totidem ab alijs curatas obseruassem, mihi sanè scribere semper licuisset, multas me feliciter curasse, & ab alijs feliciter curatas mihi constitisse, nequaquam recedendo à raritatis limine. Prçterea Excellentissimus Defensor confundit multitudinem cum frequentia, quando hçc duo vocabula longissimè dissident ab inuicem: frequentia enim id importat quod breui temporis spatio sepè contingit. Multitudo autem rei pluries ad distantissima etiam interualla contingentis discretam connotat quantitatem. Hæc multo sale condita præscire debuit Excellentissimus Defensor, antequàm iactatoris titulo me decorasset quamet titulari signatura foret quoque decorandus prçlaudatus

Gen-

Genga cum alijs, qui multas quoque harum fracturarum magna cum admiratione se feliciter curasse testantur, prout in prima constat cõclusione. Ego vtique multas à me, & ab alijs curatas rotulæ fracturas, & non frequentes meo calamo suggessi. At Excellentissimus Defensor, cum ipsemet fateatur, se harum fracturarum vnicum tantum inspexisse casum, hoc iure vnitate solummodo instructus multitudinis, & frequentiæ notiones ignorauit, & numerorum notitiæ fuit incapax.

Tertiòdecimò tandem Excellentissimus Defensor, qui, vt suę seruandę honestati mox Illustrissimi Domini curationem suscipiens consuleret, absque vlla exceptione leuem claudicationem nimis festinanter protulit, suspicans inde, nè formalis claudicationis pręsagium euanesceret, in ædita Defensione suam prognosim artificiosè modificans explicauit, & fuit pro-

testatus, se prò leui claudicatione quodlibet intellexisse, & accepisse perexiguum incessus incommodum, etiam num paruissime distans à perfectione motus voluntarij sanissimo modo ab ipsamet natura exerciti. Huic protestationi satis licèt occurrerim in prima conclusione referens fracturas à Stapelmoer, & Solingio curatas; adhuc tamen hæc Defensoris protestatio vlteriori indiget animi reflexu, cum nec ex eo, quia ipse protestatur, se prò leui claudicatione quodlibet intellexisse perexiguum incessus incommodum; hoc vitium, aut incommodum ab ipso pensitatum extra claudicationis confinia trhai queat, & quomodocunque exceperit, aut pensitauerit, incommodum à se cogitatum semper, ac perenniter leui claudicationi referendum, quàm manifestis verbis, & absque vlla clausula in fracturæ historia sic protulit: *qua de causa non absque*

ratione statim leuem claudicationem prædixi ; præcipuè cum Illustrissimus Patiens descendere conabitur ; Quo igitur fatuo, aut insulto iure quodlibet aliud perexiguum incommodum, quod non sit claudicatio, in sua protestatione claudicationis nomine impropriè connotare protestatur. Præterquam ipsum claudicationem semper intellexisse altera suadet potissima ratio, cum ab initio curationis, & suæ defensionis Paræi, & Hildani præsagijs innixus leuem illicò, & ineuitabilem claudicationem, scriptoribus hisce sic dictantibus, super futuram prædixit: sed Paræus, & Hildanus hanc claudicationē non prò quolibet alio etiā perexiguo incommodo, at prò formali claudicatione, & motus deformitate accepere; igitur, & ipse Defensor quodlibet à se conceptum perexiguum incommodum leui claudicationi, & motus deformitati referre voluit, & cogitauit iuxta

Pa-

Paræi, & Hildani acceptionem, ac intellectum, & sine iure tandem rem maturiùs recogitans, & vt tutior in suo præsagio firmaretur, ridiculam protestationem in fine suę defentionis incidi curauit. Gaudeat interim Excellentissimus Defensor, suumque pacificet animum cessante suæ protestationis necessitate, quam ab animo sui delere satis superquè fuit præconceptus, ac indè executioni commissus fracturæ rotulæ labiorum hiatus, ex quo non solùm leuem, sed, & satis deformem claudicationem in casu Illustrissimi D. patientis, vt sors tulit præsagire tutissimo valuit; at non omnem rotulæ transuersalem fracturam insanabilem comprobare potuit, & dehis hactenus.

Addiscat interim Excellentissimus Defensor professorum Epistolas iuxta mentem proferentis, & non sui perperam intelligentis interprætari, nec eas in alienos

nos efferat sensus, ne tam præceps in publicas Apologias contumeliosis characteribus iterum incidandas, corruat in posterum. Valeat.

F I N I S.

OMISSIS, BENEVOLE LECTOR,

Punctis, virgulis, & accentibus superfluis, ac deficientibus, à te facili negotio addendis, ac delendis, errata notatu digniora sic corriges.


ERRATA	CORRECTIO
Pag. 4. lin. 4. suscipites	Suscipite
lin. 17. intesseram	in tesseram
Pag. 6. lin. 11. contumelio sis	contumeliosis.
Pag. 7. lin. 10. Eccellentissimo	Excellentissimo
Pag. 20. lin. 12. autoritae	autoritate
Pag. 21. lin. 2. auctissimus	acutissimus
lin. 21. minantur	minatur
Pag. 24. lin. 12. dilanciationem	dilaniationem
lin. 16. nullum	vllum
Pag. 27. lin. 6. Chirugico	Chirurgico
lin. 16. determinant	determinat
Pag. 28. lin. 4. relinquerunt	reliquerunt
lin. 6. Ad versùs	aduersùs
lin. 7. diomatè	idiomate
Pag. 30. lin. 7. siue	sine
lin. 9. commostrat, quàm plures	commonstrat, quàm plures
Pag. 31. lin. 1. claudos	clausos
lin. 21. innixus	innisus
Pag. 32. lin. 7. Chirugiæ	Chirurgiæ
lin. 12. efficacias	efficacis
Pag. 33. lin. 9. secandum	secandam
Pag. 35. lin. 20. fulgiendam	fulciendam
Pag. 41. lin. 20. fratura	fractura
Pag. 49. lin. 1. febbararo	febraro
Pag. 51. lin. 5. Respontio	Responsio
lin. 9. ricouusciuta	riconosciuta

lin. 9.

ERRATA	CORRECTIO
lin. 13. maſe	meſe
Pag. 53. lin. 10. per Illuſtrum	per Illuſtrem
Pag. 55. lin. 5. Chirugo	Chirurgo
Pag. 56. lin. 4. Chirugię	Chirurgiæ
lin. 7. giramento	giuramento
Pag. 57. lin. 2. veità	verità
lin. 17. columinis	columnis
Pag. 59. lin. 4. medicum	medium
Pag. 62. lin. 21. qui nimò	quinimo
lin. 19. obptemperauit	obtemperauit
Pag. 64. lin. 7. eſſentiuntur	aſſentiuntur
Pag. 66. lin. 5. eſtuberantiam	extuberantiam
lin. 9. difficille	difficile
Pag. 71. lin. 7. ſecondo	ſecundo
Pag. 72. lin. 2. Chirugijs	Chirurgijs
Pag. 75. lin. 5. opprobarij	opprobrij
Pag. 80. lin. 4. dimititur	dimittitur
lin. 18. ipſa	ipſe
Pag. 84. lin. 1. ſanaſſe	ſanaſſe
lin. 4. Piſtonienſem	Piſtorienſem
lin. 8. Chirugo	Chirurgo
Pag. 86. lin. 16. Excellentiſſimus	Excellentiſſimus
Pag. 88. lin. 2. exepertus	expertus
Pag. 90. lin. 12. amiſiſſet	admiſiſſet
lin. 17. hys	ijs
Pag. 91. lin. lin. 5. extentio	extenſio
lin. 9. interprætatione	interpretatione
lin. 11. innixus	inniſus
lin 14 Extentio	extenſio
Pag. 92. lin. 10. ſcandare	ſcandere
Pag. 93. lin. 9. milliacentum	millia centum
lin. 11. diffrangi	diffringi
lin. 13. raras.	raros
lin. 16. non	Non
lin 19. Excellentiſſimus	Excellentiſſimus.

Pag.

ERRATA	CORRECTIO
Pag. 94. lin. 3. accidens	accedens
lin. 15. Multitudo	multitudo
Pag. 96. lin. 15. trhai	trahi
Pag. 97. lin. 3. insulto	insulso
Pag. 98. lin. 5. defentionis	defensionis
lin. 21. interprætari	interpretari
Pag. 99. lin. 3. incidanda	incidenda


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SI Videbitur Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino D. FABRITIO PAVLVTIO Episc. Maceraten. & Tolent. *Imprimatur* Alexander Compagnonus Ecclesiæ Cathedr. Maceratæ Archidiac. Reuisor. Episcop.

Imprimatur.

Didacus Balducci Prothon. Apost. I. V. & Sacr. Theol. Doct. Cathedr. Macerat. Canonic. Theol. Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Fabritij Paulutij Episc. Macer. & Tolent. Vic. Gener.

Iacobus Franciscus de Amicis Patritius Macer. I.V. nec non Phil. ac S. Theol. Doct. S. Offic. Reuisor, vidit &c. Si placet Reuerendiss. Patri Inquisitori Anconæ.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Franciscus Poggius Sacræ Theologiæ Lector Prior, & Vicarius Sancti Officij Maceratæ Ordinis Predicatorum.

IN Macerata per Michele Arcangelo Siluestri. 1695.
Con Licenza de SS. Superiori.